



O quã pulchra est Casta
generatio cũ claritate sap 4

[redacted]

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A.Riuald.Viceſg.


Imprimatur,

Fr.Vincentius Fanus Mag.& Socius Reuerendiſs. P.Fr. Vincentij Candidi Sac.Apoſt. Pal.Mag. Ord.Prædic.

Goſuuinus NicKel Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVm Librum, qui inſcribitur Clypeus caſtitatis, à P. Io. Baptiſta Roſſi noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. cuius rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, Sigilloq; noſtro munitas damus Romæ 20. Februarij 1653.


Goſuuinus NicKel.



CVm Sanctissimus D.N. Vrbanus Papa VIII. in S. Congreg. S. R. & vniuersali Inquisit. Decretum ediderit quo inhibuit imprimi Libros hominum, qui sanctitate, seu Martyrij fama celebres à vita migrauerunt gesta, miracula, reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit penes Auctorem. Huic decreto ea reuerentia qua par est insistendo profiteor me non alio sensu, quæ refero in hoc libro accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea solent, quæ humana auctoritate, non autem diuina Catholicæ Rom. Eccl. aut S. Sedis Apostol. nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

LE-





LECTORI.



PERIO tibi candidè, Lector beneuole, quæ me causa impulerit, vt reliquis meis opusculis spiritualibus pridem editis, hoc postremum adiungam. Nimirum contigit mihi, quàm frequenter in priuatis colloquijs cum externis, ad quæ vel necessitas, vel caritas vel vtraque descendere compellit, exempla narrare, quibus viri Nobiles, præsertim adolescentes suam castimoniam probauere Cœlitibus, & ob insolentiam facinorum præclarissimorum admirabilem mortalibus reddidere. Porrò cum nullo vnquam istiusmodi sermones serere memini, qui non vehementer commoueretur animo, & motum oculis, vultu, interdum etiam lacrymis proderet; & quod optabilius est fructum non caperet pænitudinis, si cuiusquam sibi conscius esset turpi-

tudinis; aut non tangeretur desiderio imitationis, si innocentiæ. Quippe, S. Aug. teste, paucissimi tantæ sunt fœlicitatis, vt ab ipsa ineūte adolescētia nulla damnabilia peccata committant &c. (l. 21. Ciuit. c. 16.) *quia videlicet thesaurus est in vasis fictilibus castitas, cui deprædando inhiant impuri spiritus, aduersus quos pugna quotidiana iuuenibus est; & rara, vel minimè constans victoria. Verumtamen, vt cerei sunt, & ad vtrumq; flexiles adolescentum animi, cum adhuc in nequitia peregrinantur, si in Xenocratem quempiam incurrant* (Val. Max. l. 6.) *de temperantia opportunè differentem ingemunt infœlicitatem suam, ac in totidem Polemones euadunt, eò fortunatiores, quod expiare sacris mysterijs totam profanitatem queunt, quæ à nullo Philosophorum veterum sperare Iuuentus poterat, vt resipisceret.*

Qui verò ambulauerunt in Innocentia, & primam stolam in Lauacro sancto acceptam non coinquinauere, cùm laudes, & bona pudicitiæ cœlestis ornamenti auscultant, læti de sua fœlicitate, ne de illa cadant, sedulò se Sacramentis muniunt, & lubricum ætatis in solido timoris Domini, & horrore vitij obfirmant. Talia meditanti

venie-

veniebat in mentem opinari Deo gratum, & vtile iuuentuti fore studium colligendi exemplorum fasciculum ex historiarũ selectarum hortis, quorum notio pareret fructus honoris, & honestatis. Constitui igitur partem temporis theologicis studijs destinatam ad opellæ huius molitionẽ transferre, vt Iuuentutem per orbem christianum, tàm litteris vacantem, quàm otio indulgentem, quoquo modo iuuem; & antidotum efficacissimum subministrem ad vitia illi infesta, vel anteuertenda, vel resecanda. &

Quod si Sanctus Ignatius Loyola ille Apostolicæ virtutis hæres, cuius cor diuini amoris flamma depascens in Seraphinum verterat, compendium fecisse rebatur totius vitæ laborum, sudorumq; in animarum salutis procuratione sudatorum, si vel vnius noctis flagitia eorum pretio redimeret; nunquam mei me consilij pœnitebit, si vel vnum ex tota iuuenum turba libellus hic Christo lucrifaciat, cum tamen quæstum longè vberiorem per plura sæcula, & loca illi audeam polliceri.

Cæterum paucula te monitum velim Lector, in præambulo. Primum est me

elogia mera haud texere, quia eò collimo, vt voluntatem afficiam, & ad honestam, congruamque imitationem prouocem: cui fini concinna laudatio, & breuis, ac ingenij luminibus nitens scriptio haud quaquam seruit. Neque rursus ex historiæ legibus narrationem instituo; quod in ea multæ dirimendæ lites temporum, locorum, personarum, negotiorum, quæ mentem ab affectu distrahunt, ac sterilem lectionem reddunt. Tertiam igitur ineundam mihi viam existimaui, vt ex historijs probatorum scriptorum insigniora quædam decerperem, quæ certa sunt; & in ea mensura, quæ satis sit ad notitiam conditionis, virtutisque virorum illustrium ingenerandam, & pietatem in animo pariendam, vel fouendam.

Alterum est pleraque in opusculi decursu commemorari, quæ miranda sunt cunctis; ast imitanda paucis dũtaxat, quos diuinus spiritus per semitas altissimæ perfectionis ducit, ac supra communis sanctitatis excelsa euehit. Puta cum S. Emericum Principem Hungariæ leges, vix puberem Votum Virginitatis emisisse, Nolo te statim eodem adstringere voto properes,

res, ne que alio simili; sed consideratè, ne dici possit stulta promissio, quæ Deo displicet, & tibi non prodest; ideo cõsultò feceris si cum sapiente tuæ conscientiæ arbitro cogitata, & sensa ad examen reuoces, an sana, an à Deo sint & nihil illo inconsulto, & consentiente aggrediare, ne sub boni specie malus te spiritus decipiat, ac perdat. Et in hoc Puta tibi dictum; Iudicium patris audite filij, & facite, vt salui sitis.

Tertium est compagem, ac operis structuram pia fictione nixam festiuitatis Parthenicæ eorum, qui canunt canticum, quod nemo cæterorum cantare potest: Et quia eò spectabat solemnitas, vt vniuersalis Pax impetretur à Deo Regnorum datore, & conciliatore Principum, inducebantur ij tanquam spectatores, non vt pars festum celebrantium; Neque plures quàm primores pauci, qui mutuis regiarum familiarum coniugijs reuecturi videbantur Pacem diu nimis ab Europa exulantem. Ast mutare consiliũ suasit temporũ mutatio, ideoq; manenti eidem coronæ illustrium Virginum abscissi lemnisci sunt, & additamenta detracta, quibus ratio constabat ordinis, dispositionis, Apoc. 14.

nis, & munium ſingulis præſcriptorum. Sed bene eſt, quod ſimplex ipſa hiſtoria afferre poteſt Lectori fructum quem intendimus ne gratis plura ab auctore requirat ad ordinem, vel ſtylum pertinentia.



Hieroglyphicum Virginitatis.

EXPLICATIO
HIEROGLYPHICI.

Pinge mihi Sermonem Virginitatis; ait Sanctus Chrysostomus Si dixisset Pinge mihi Virginitatis imaginem, habuisset promptum Apellem aliquem qui suis lineamentis, & coloribus expressisset Virginem Speciosissimam, oculis in Cœlum erectis, hilarem. vultu verecundam, caput Lilijs, rosisque redimitam, corpus Stola candidissima obtectum, murem ponticum dextera mulcentem, planta testudinem calcantem; Et si quid amplius è Musarum penu mutuare ad eam repræsentandam, vel proprio Marte comminisci Pictorum solet industria: At sermonem, in quem non oculus, sed auris tendit, ac percipit, pingere, quis mortalium queat? Et pinxit tamen Immortalis, cum Virginem inter Leonem, & libram in grandi orbiculari tabula collocauit, & gemino Septo inclusit, vt de Iustitia loquitur S. Ambros. Hoc opus digitorum Dei, sermo est Virginitatis figurata constellatione demōstrantis mediam se inter fortitudinem, ac Iustitiam incedere, & sine ipsarum consortio à Creatore defixo, neque in Cœlo, neque in terra consistere posse. Fulcitur hinc Leone, qui typus est fortitudinis, quia Virgo à bellis nunquam cessare potest, vt S. Chrysostom. Hol. 9 de Pœnit. to. 5

ibi-

ibidem, & nisi fortiter pugnet, succumbit. Inter omnia Christianorum certamina, inquit S. August. Sola duriora sunt prælia Castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara Victoria.

Serm.250 de temp.

Quia videlicet colluctandum cum graui aduersario foris, & cum domestico inimico intus, etiam sanctis infesto, etiam Apostolos vexante: sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę.

Rom.7.

Fortitudine igitur opus est, & generositate animi significata per Leonem, ad castitatem tuendam: & constantia ad pertinaces carnis impetus retundendos.

Leoni respondet ex altera parte libra, quia fortitudo necessaria ad conflictus est cum hostes impetunt, & ad pugnam prouocant; sed & pacis tempore multa contingunt in vsu vitæ, quæ cautionem, vigilantiamque poscũt, vt virtus exerceatur, viteturque vitium ab eo qui Virginem castam exhibere Christo statuit, cum enim in ijs excessus, defectusq; culpæ sit obnoxius, & in via morum cauendus, mediocritas, quæritur, & æquabilitas quędam inter vtrumq: siue agere oporteat, siue pati, cui denotandæ æquabilitati, libræ deseruit signum, quod ingrediens Sol, diei, noctisque horas pares facit; indeque simile ducitur ad virtutes, tam quæ circa medium rationis inuestigandum occupantur, vt seuent. Quam quæ medium spectant rei, & æqualitatem, quærunt. Quod effatum vniuersim prolatum non quadrat Virginitati, cuius excelllentia naturæ, in impartibili puncto splen-

ipienaens, nullà meaiocritate contenta; sed cadit nihilominus in actiones ipsam comitantes, atque ita cadit, vt si mediocritas ab illis absit laudabiles esse desinant, & minimè ad pulchritudinem, nitoremq; Virginitatis conseruandam idoneę sint. Sensuum in primis continentia opus est non ab illicitis duntaxat; sed & ab illecebrósis, quæ affinia illis sunt ac libramentum quoddam disciplinæ interioris. ac exterioris est, quo fulcitur Virgo à Leone defensa, vt sit quidam veluti sermo illius ad Syderum inspectores directus. HINC ME LEO TVETVR; INDE ME LIBRA CONSERVAT.

Neque verò factum est casu, vt contineatur orbis Phœnicis rostro, & vnguibus, quia auis hęc in sua specie singularis, & in mundo vnica, symbolum Virginitatis dicitur, eo quod neque concepto fœtu, nec semine surgit, sed pater est, prolesque sui, nulloque creante, emeritos artus fœcunda morte reformat, vt loquitur Claudianus, explicatque S. Ambrof. Hexaemer l.5.c.23.

Apes præterea hinc inde lilia delibantes pinximus congrua Virginitatis symbola, quia vt S. Ambrof. ibidem, communis est omnibus generatio, integritas quoque corporis virginalis omnibus communis, & partus; quoniam neque vllo concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partus quatiuntur doloribus, & subito maximum filiorum examen emittunt è folijs, & herbis ore suo prolem legeutes. Ideo S. Adhelmus Episco- In biblio th. PP. to. alias 3.

pus

pus lib.de laud. Virginit.c.2.ait apis peculiaris castimoniæ priuilegio pudicissimæ Virginitatis typum, & Ecclesiæ portendere speciem indubitata scriptutarum auctoritate adstipulatur: Quæ florentes saltuum cespites ineffabili præda depopulans natorum pignora, nesciens connubij illecebrosa consortia fœtosa, quadam suauissimi succi de balsami concretione producit.

Reliqua sunt lilia programma nostrum ambientia ad ornatum, & ad significatum. Quid per lilia (ait S. Greg. in illud Cant.2. Qui pascitur inter lilia) nisi mundæ animæ designãtur, quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suauiter olent. Inter lilia sponsus ergo pascitur, quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conseruant, & per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis quasi odoris suauitatem donant, quibus similia habet S.Hier.epist.8.ad Demetriadem.

Leo igitur, & Libra fermo sunt Virginitatis in prælio fortitudinem, in pace virtutum reliquarum subsidium deposcentis; Phœnix, & apes coniugiorum, lilia candoris, & fragrantiæ fœcunda sunt naturæ symbola, ingenijs ad eius extollendam diuinitatem materiam ministrantia.

IN-

INDEX

S.Pe-

S. Pelagius M.
S. Nicolaus Peregrinus
Alexander Bertius

PLacuit in honorem Vitæ Christi Domini tribus,& triginta annis circumscriptæ toti dẽ imaginibus Parthenicæ festiuitatis codicẽ conflare, ne fortè conquerare prætermissos alios tam Virginitate, quàm nobilitate famosos heroas quales celebrantur Martianus Imp. cum Pulcheria sorore Theodosij iunioris, Alphonsus Castus Hispanus, Edmundus Vxoratus Anglus, Boleslaus Pudicus Polonus, Iosaphat Indus; omnes Reges, & plures relati in Heteroclitis Eruditissimi P, Theophili Raynaudi nostri in Indiculo Sanctorum cuiusque conditionis, ac status.

Si



FERDINANDO
QVARTO ROMANORVM REGI SEMPER AVGVSTO

Aeter. F.

ANCTISSIMVS Ecclesiæ Doctor Augustinus didicit à Christo Domino, & ab Apostolo Paulo scribere, *Non tribuamus dandi Regni, atque imperij potestatẽ, nisi Deo vero.* A Deo igitur datũ tibi Romanorum Regnum FERDINANDE semper Auguste Hungariæ, ac Boemiæ Regi. Gratulatur gloriosæ electioni à se tibi destinatæ Cœlum: Gaudet recenti splendore decorata Terra: exultat nouo defensore munita Ecclesia Sancta: Nec

lib.5 Ciu. cap. 21.

desiderari patitur in tot gratulationum cumulo suas partes addictissima Maiestatis Austriacæ Domui, Iesu Societas. O veri, ô synceri, ô pij gaudiorum Sensus, quibus propositus est Dei honor, & gloria; Religionis firmitas, & incrementum; Austriacæ familiæ decus, & ornamentum eò illustrius, quòd initium trahit à pietate in Venerabile Sacramētum, qua Rodulphus posteritati reliquit argumentum celebrādi nomē suum, & diuina prodigia, factum memorabile insequētia, prædicādi. Transmissa est hæreditaria successione ad Nepotes pietas eadem, quos inter Ferdinandus II. Auus tuus Rodulphi exemplum renouandi occasionem libentissime sumpsit, quando venationi in syluis intētus, ex nolulæ sono agnouit sacrum panem ad ægrotum deferri; illic namque concitato cursu Sacerdotem gestantem assecutus, equo desilit, flexo poplite adorat latentem sub speciebus Christum: Comitatur reuerenter cum promiscua turba, & humilem casam rustici iacentis ingressus, humanissimis solatur verbis, & liberali eleemosyna donatum, recreatumq; relinquit,

Vidi

Vidi egomet eundem, cum vices Matthiæ, Pragæ tum degentis, suppleret, Viennæ anno sæculi currentis quartodecimo in die festo Corporis Domini publicè supplicationis sua pręsentia augere pompam, & totum illud viarum, ac platearum iter, quo solemniter Hostia Sacrosācta circūferebatur, detecto capite emetiri, licèt post nocturnū imbrē vegetior sol æstuaret, ac aërem velut in canicula succēderet. Et audire contigit mihi ab intimo domesticorum aulæ, oppidò fessum, & sudorę madidum, vt ad Conclaue Palatij redijt, decumbere coactum; sed hilarem animo; quòd labor ille, ac defatigatio in bonum cederet Catholicæ Religionis, & ædificationem non modicā Catholicorum, amantium imitari quod mirabantur in Principe. Et ij cur non sperent à Nepote Romanorum Rege, quæ vidit ætas nostra in auo, suspexit antiquitas in atauis, si tam faustè coelites vtrisque propitios experitur? Quid minus Ecclesia Sancta à vestris expectet, quàm à præcessorum auspicijs, qui sartam tectam illius dignitatem, auctoritatemque ab alienis incursibus quan-

tum valuere, conſtanter voluere? Veſtri generoſitas animi ad ſublimia nati; veſtra virtus, prudentia, temperantia, caſtimonia, & reliqua excelſa decora, quæ Cœlites in vobis plena collata manu, vt ſua munera diligunt, plura pollicentur, quàm lentus exaret ſtylus, vel breuis meus, vel prolixus aliorum. Vt nihil interim is attingat eorum, quę voluntates deuinciunt ſubditorum populorum, ac Exterorum, Maieſtas oris, ſuauitas morum, eloquij amabilitas, temperata facilitatę grauitas, prompta ad benefaciendum humanitas, quæ in ſpecie imperio digna ceu in Cœlo Sydera ſplendeſcunt, & tanquam alterum in terris Solem comitantur.

Vt mirum proinde videri non debeat, quòd Vobis Societas Ieſu tam magnificis obſtricta beneficijs, quàm amore, & obſeruantia ſingulari diu Vobis addictiſſima, Lætitiæ quoque ſuæ in communi exultatione, plauſuque prodere ſigna geſtiat; Et aduocato in auxilium Muſarum fauore flores, fructuſque ingenij multiplices aræ appendat prouidentiæ, quibus merita veſtra, tum noſtra debita

decla-

declarentur. Et eorum quidem imitatione vocalis quoque mea Camæna cantum adiungeret laudum vestrarum, & per Austriacos campos excurrens messem colligeret Encomiorum, Cœlestibus dumtaxat inferiorum: Ast quæ conuentio humilibus myricis cum excelsitate Cedrorum Libani? Aut quæ participatio anserini clangoris cum suauissimo modulamine Olorum, qui vestram inaugurationem quà soluta; quà stricta oratione extollunt in sublime? Horum vice Clypeum castitatis Maiestati tuæ offero; hinc ardore caritatis heroum in eo descriptorum, velut auro fulgidum; inde candore Virginitatis ceu argento splendidum: ac iccirco, vti reor, gratum futurum quod Imperatores, ac Reges Lectori obijciat, quorum præclarissima facinora imitari poteris; celsitatem Virginei pudoris satis admirari vix poteris. Si fronte serena, & amica manu Clypeum tuæ fortitudinis indicem, tuæ honestatis Symbolum accipias, non inuidebit Clypeo in Curia Romana totius Senatus consensu affixo in honorem Claudij vt primum Imperator salutatus

est

est, Et redibit denuò in conspectum Maiestatis tuæ noua inscriptus Epigraphe.

VIVAT FERDINANDVS
ROMANORVM REX sẽper August⁹
Aeternùm regnet.

Maiestatis V.


Humillimus seruus

Io. Baptista Rossi
S.I.



FERDINANDꝰ. IV ROMANOꝝ REX

Domui, et throno eius ſit pax *3.Reg.2.*



FERDINANDVM
ROMANORVM REGEM

Inaugurandum Cometes nuper visus in Cœlo portendit.



Horrificus fulsit ferali crine Cometes
Infaustus Regnis, Principibusq; minax.
Fallor ego. Austriacis quōdā dedit omina Regni
Fausta, capillatum, quod nitet axe, iubar.
Non ego iam fallor, Romani nuncia Sceptri
FERDINANDE micans hæc tibi stella venit.

IOANNES BAPTISTA
BORGHESIVS
Principis Borghesij è filio NEPOS.

A


Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maranatha 1. Cor. 16.



VALDE mihi amandus est per quem sum, viuo, & sapio &c. Sed est, quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi bone Iesu calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem, & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit. Multum quippe laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. At verò hoc & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. S. Bern. Serm. 20. Cant.

MARIA.

Non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragia, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens, non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam, cogitans, non erras Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis. S. Ber. Homil. 2. super Missus.



FERDINANDVM ROMANORVM REGEM

Inaugurandum Cometes nuper visus in Cœlo portendit.



Horrificus fulsit ferali crine Cometes
Infaustus Regnis, Principibusq; minax
Fallor ego. Austriacis quōdā dedit omina Regni
Fausta, capillatum, quod nitet axe, iubar.
Non ego iam fallor, Romani nuncia Sceptri
FERDINANDE micans hæc tibi stella venit.

IOANNES BAPTISTA BORGHESIVS

Principis Borghesij è filio NEPOS.

A

Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maranatha 1. Cor. 16.



VALDE mihi amandus est per quem sum, viuo, & sapio &c. Sed est, quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi bone Iesu calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem, & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit. Multum quippe laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. At verò hoc & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. S. Bern. Serm. 20. Cant.

MARIA.

Non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragia, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens, non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans, non erras Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis. S. Ber. Homil. 2. super Missus.



Virginitas digna fuit Spiritus S.ti sacrarium fieri, et habitaculum Filij Dei S Bern.

Iesus Christus Auctor, & amator Virginitatis.

S. Fulgentius Epist. 3. c. 4.

HIc est Vnigenitus Dei filius vnigenitus etiam Virginis filius, vnus omnium sacrarum Virginum Sponsus, sanctæ Virginitatis fructus, decus, & munus, quam corporaliter sancta Virginitas peperit, cui spiritualiter sancta Virginitas nubit, à quo sancta Virginitas fœcundatur, vt perseueret, intacta; à quo decoratur, vt permaneat pulchra, à quo coronatur; vt regnet perenniter gloriosa. Quapropter depositum custodi, & meritum tanti boni, quod vt haberes, Deus dedit, & vt Deo voueres ipse fecit.

S. Ambros. l. 1. de Virg. p. 2.

VIrginitatis auctorem quem possumus æstimare, nisi immaculatum Dei filiū, cuius caro non vidit corruptionem, Diuinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta Virginitatis merita sint. Christus ante Virginem, Christus ex Virgine. A patre quidem natus ante sæcula; sed ex Virgine natus ob sæcula. Illud naturæ suæ, hoc nostræ vtilitatis est: Illud erat semper, hoc voluit. Spectate, aliud Virginitas meritum. Christus Virginis Sponsus, & si dici potest, Christus Virgineæ Castitatis. Virginitas enim Christi, non Virginitatis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, virgo, quæ nos suo vtero porta-

uit, virgo quæ genuit, virgo quæ proprio la-ctæ nutriuit, vt mox, (Qualis est hæc Virgo quæ Trinitatis fontibus, irrigatur, cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt vbera, mella funduntur? Petra autem est iuxta Apostolum Christus, ergo à Christo non deficiunt vbera, claritas à Deo, flumen à spiritu.)

Quo patrum Elogio origo, dignitas, diuinitas Virginitatis effertur; dominatus eius, ac meritum expandit se in florida campi latitudine, per quam ductura in triumphum est coronatos suos lento stylo mox indicandos: quibus præficitur, quidem regum Rex Christus Iesus, sed vt adorandus, & excelsus super omnes principes, quorum recensemus gesta præcipua, & cui soli debetur historia qualem Sanctus Spiritus per Apostolorum calamum exarauit Ecclesiæ, & pij, ac docti viri notis illustrauere. Inter quos recenter R.P. Stephanus Menoch. vir inter nos consularis, qui libris suis Remp. litterariam ditauit, & vita Christi nuper edita decorauit.

Maria Deipara Signum Extulit Virginitatis.

S. Ambros. de Instit. Virginis c. 5.

Maria nobis non solum virginitatis incẽtiuum attulit, sed etiam Deum intulit. Vnde lætus, & exultans tanto munere c. 7. dicit Isaias: Ecce Virgo in vtero accipiet, & pa-

pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. Vnde hoc munus? Non de terra vtiq; sed de cœlo vas sibi hoc, per quod descenderet Christus elegit, & sacrauit templum pudoris, per vnam descendit, sed multas vocauit, vna speciale Maria Domini hoc nomen inuenit, quod signat Deus ex genere meo. Exod. 15.

Eodem cap. hæc addit.

EGregia igitur Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum leuauit, & tamen cum omnes ad cultum Virginitatis Sanctæ Mariæ aduocentur exemplis etc.

Et l. 2. de Virg. paulo post init.

HAec est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, vt vnius vita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus, vt quæcunq; sibi eius exoptat. præmium, imitetur exemplum. Quantæ in vna virtutum species emicant? Secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium, Virgo intra domum, comes ad mysterium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret? quantas complexa ad Dominum trahet dicens. Hæc thronum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore.

Quæ talia à S. Ambrosio, cæterisque pronunciata Patribus, eatenus laudes Magnæ Virginis attingunt, vt laudetur Virginitas: In hoc vero eloquentiam exerit idem Doctor vt mores Sanctæ matris describat, quo Lectorem ad eorum imitationem prouocet, non qualemcumq; sed qui capere potest quid sit propter regnum cęlorum spadonem, si detur optio, viuere malle, quam Regem. Ea propter eius verba referre huc operæ pretium est, vt quoniam Vitam Reginę Virginum à dextris filij sedentis redigere ad ordinem, classéque famulantium sibi reuerentia prohibet habeant saltem adolescentes incitamenta æmulationis è parænesi Ambrosij, quam haberent ex historiæ Deiparæ descriptione.

Sit igitur vobis (hortatur initio lib. 2. de Virginib.) tanquam in imaginem descripta virginitas, vitaq; Beatæ Mariæ, & quæ velut in speculo fulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc licet sumatis exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea quæ corpus sine corporis contagione generauit. Nam de cœteris eius virtutibus, quid loquar Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente; quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incertò diui-

tia-

tiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponẽs: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem. Quando iſta vel vultu læſit parentes, quando diſſenſit propinquis? quando faſtidiuit humilem? quando deriſit debilem? quando vitauit inopem? eos ſolos ſolita cœtus virorum inuiſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundũ. Non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, vt ipſa corporis ſpecies ſimulachrum fuerit mentis, figura probitatis.

S: Ioſeph Beatiſſimæ Virginis Sponſus.

PAtria Sancti Ioſeph fuit Nazareth prouinciæ Galileæ in Paleſtina.

Parens fuit Iacob Matt. 1. Iacob autem genuit Ioſeph Virum Mariæ.

Nec diſſentit S. Lucas vocans filium Heli, nam S. Matth. loquitur de generatione naturali, & ideo gignendi verbo vſus eſt, Lucas verò de legali, & ideo tantum habet, qui fuit Heli. hic fuit frater vterinus Iacob ſic Africanus epiſt. ad Ariſtidem, vt refert Eu-

seb. Cæsar.l.1.historiæ c. 6. (Vterini, inquit) erant fratres Heli, & Iacob. Heli absque prole decedente, Iacob illi semen suscitauit; & genuit Ioseph; qui natura filius eius erat; lege verò Heli &c.)sequitur S. Bonau. in c.3. Lucæ, S. Hieronym. S. Ansel. Iustin. mart. & alij.

Cognatio significatur ab Angelo vocante illum filium Dauid Matth.1. & ex Matthæo longa serie numerātē Reges auos,abauos,&c. à quibus ortus est. S.Bern.hom.1.super Missus verè,inquit, de domo Dauid, verè ex regia stirpe descendit vir iste Ioseph nobili genere, mente nobilior, planè filius Dauid non degenerans à patre suo Dauid, plane,inquam filius Dauid, non tantùm Carne; sed fide,sed sanctitate.

Cætera, quæ de Beatissimo Sponso Euangelistæ narrant, vt sunt certissima; varietatem interpretationum habent; & suas lites; à quibus abstinere professus sum; nè lectoris animum à deuotione distraham. Huic fortè magis inseruiet, quæ olim S. Bonauenturæ Philomelæ inserta est Prosa simplex, ac plana; quam fas, licitumq; fuerit huc transferre non secus, quàm si anulum tuum de indice in anularem transferas.

Vernare iucundè potes Philomela dulcisona, vbi Cœlum suas delitias, ac terra suas diuitias tuo modulamine decorandas obijcit, cum suæ Reginæ Sponsum, Nutritium, custodem, tutorem sui conditoris colendum proponit. Extolle

tolle vocem, & Angeli nomine crebriùs repetito cantus imo, Summo, medio temperatus tono; vndecumque circumsonet. Quid ni Angelum occinas, qui custos esse Angelorum Domini emeritus, supra illorum celsitatem euectus est. Mortalium singulis suus deputatur Angelus, cui cura corporis, animique incumbit. Immortalium Regem Christum; neque necessarium, neque decens fuit custodiæ committi Angelicæ, quippe qui Verbi sapientiæ, cui vnitus erat, directioni, ac tutelæ suberat. Nihilominus inter cætera Ioseph beatissimo munera cœlitus data, hoc vnum fuit egregium; ac singulare, vt Dei filij prouidentiam gereret, & paterna solicitudine eius commodis inuigilaret. Ideo custodiuit eum ab inimicis, & à manibus Herodis quærentis animam pueri tutatus est; transtulit in Aegyptum, ibique aliquot annorum spatio suarum manuum labore aluit, inde reduxit in terram Israel, & quoad vixit omni caritate, diligentia; obsequio ministrauit; & ne quid ex necessarijs deesset bonorum terrenorum minimè egeno, pro familiæ suæ tenuitate diligentissimè curauit. Beatus cui datum est, quod multi Reges, & Prophetæ cum vellent videre non viderunt, audire, & non audiuere; nec solùm videre, & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire, & custudire; exclamat, S. Bern.

Non vacat singillatim Angelorum choros lustrare, & quæ D. Iosepho cum illis similitudo

tudo intercessit, expendere; compendium fecero, si de suprema hyerarchia modicè aliquid attigero, & munerum ipsius partes communes esse Angelo nostro demonstrauero. Postremi in ea numerantur throni, qui ex eo quòd sedent, sic appellantur, & ex eo sedent, quod sedet in illis Deus, vt Ber. explicat. Neque enim sedere in eis qui non sederent, posset. Quæris quid illam sentiam sessionem? summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem, quæ exuperat omnem intellectum. Talis est qui sedet in Thronis Dominus Sabaoth, iudicans omnia cum tranquillitate placidissimus, serenissimus, pacatissimus, & tales sibi constituit thronos simillimos sibi, &c. Addit S. Bonau. quòd iudicia sua Deus per illos determinat, & suæ æquitatis excellentiam benignè; ac sapienter indicat, vt fateantur homines, vnus est altissimus Creator, Omnipotens, & Metuendus nimis, sedens super thronum, & dominans Deus &c. An non Thronus fuit S. Ioseph; in cuius vlnis, sinu, humeris, genibus placidissimè conquieuit Rex Regum, & Dominus dominantium, & per ipsum suæ iudicia æquitatis manifestari voluit, quæ sub fuga à patria domo in alienas regiones, & ab ijs in illam regressionem delitescebant? quàm libens integer Thronorum Chorus comitem se, & adiutorem beato baiulo adiunxisset? quàm promptè in assumpta membrorum compage, cunabulorum vicem cælesti puero præstitisset? Quàm arctè, quàm suauiter,

Serm. 19. in Cant. & l. 5. de consid. non longe ab imit.

In comp. theol. ver. p. 2. c. 14. t. 7

uiter, quàm reuerenter basiolis, & amplexibus deliniuisset? vt vel hinc illis inuidenda fœlicissimi Nutririj sors, ac sedes quietissima videri potuerit, cum viderent vnigenitum, qui est in sinu Patris, in sinu Ioseph mollissimè recumbentem, brachiolis collum fouentis circumdantem; labella ori oscula sitienti admouentem, ocellos neniolis cantitantis delinitos claudentem?

Thronis proximi sunt Cherubim ex ipso sapientiæ fonte ore altissimi haurientes, & refundêtes fluenta sciêtiæ vniuersis ciuibus suis: & vide ne is sit, quem Propheta loquebatur fluminis impetus lætificans Ciuitatem Dei &c. ideoque Cherubim dicuntur à scientiæ plenitudine, quam efficit in ipsis singulari modo resplendens diuinorum vbertas radiorum in alios sub se positos redundans, ipsorum opera illuminationi cœterorum addita; Et ob hanc causam S. Ioseph Cherubinum ritè appellaueris, quod scientiæ, ac sapientiæ splendore coruscans reliquis mortalibus longè præcelluit, & speciali prærogatiua cœlestium Sacramentorum conscius à patre luminum factus est, & interpretem arcanorum consiliorum, cum beatissima coniuge agere iussus, in exequendis mandatis cœlitus datis promptissimum inuenit. Qui ab assidua familiaritate ipsius, ac Iesu filij pleni gratiæ, & veritatis mirum quantum cœperit incrementum lumen intelligentiæ accensæ istius lampadis. Siquidem actiones, & verba eorum tanquam radij in purissimum speculum

S. Ber. ibid. Ps. 43.

S. Bonau. ibid. & d. Eccl. Hier. p. 1. c. 31. ex S. Dionys.

culum animæ Ioseph euibrati, splendentem in ea cognitionis lucem per dies, ac momenta geminabant. Si enim ad solam salutationis vocem repleta Spiritu sancto Elisabeth Mysterium Incarnationis, & salutantem Matrem esse Domini sui haud dubiè cognouit, quales putas fuisse theophanias, & mentis illustrationes eius, qui lustris pluribus vitam cum Iesu egit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ, & coniugem habuit matrem pulchræ dilectionis tam cœlitus eruditam, quàm promptam reconditarum veritatum eloquijs emittendis, & amantissimo Sponso propalandis?

His excelsiores putamus Seraphim spiritus totos diuino igne succensos, & succedentes vniuersos, vt S.Bern.ibid. Ab ardore enim nomen desumunt eò quod inflammati diuini amoris incendio aliorum sint inflammatiui, vt loquitur S. Bonau. O te fœlicem Ioseph, & Seraphinis, si dici potest, beatiorem, cui concessum est ignem Deum in sinu fouere, & igne Deo inardescere. Quis tibi sensus, quæ animi colliquescentis delitiæ, quis cordis cōflagrantis ardor, cum Virgineos cœlestis pueri artus tractares manibus, & ipse sagittis pectus peteret, & flammis diuini incendij amburerct? An non cor tuum ardens erat in via, in hospitio, in lectulo? An non fiebat, vt cera liquescens in medio ventris tui, & in cor puelli fundebatur? O suauissimæ flammæ, ò incendia dulcissima, ò plusquam Seraphica deliciarum profluuia, stillantia deinceps abū-

dan-

dantiam suauitatis, odorem sapientiæ, saporem scientiæ cum deposita infantia, verba vitæ æternæ proferentem audiret, & mirabilia in momenta temporis videret ab Vnigenito Patris æterni fieri, dicique intra domesticos lares, quæ poterant etiam Cœlestis Hierusalem incolas ad ea contemplanda, ac suspicienda allicere, ac potenter trahere.

Ea propter pace vestra dixerim, ò mentes supernæ quotquot estis beatissimæ, tanto ampliori honore Ioseph à Deo est cumulatus, quanto differentiùs præ omnibus vobis nomen hæreditauit. (Cui enim Angelorum dictum est aliquando; Pater Iesu tu es? Atqui à Beatissima Matre dictum audistis, Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et rursus ab Euangelista scriptum diuinitus. Erant Pater eius, & Mater eius mirantes super ijs, quæ dicebantur. Conijce, monet Bernardus ex hac appellatione, qua licet dispensatoria meruit honorari, adeo vt Pater Dei, & dictus, & creditus sit: conijce, & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas ininterpretari, quis, & qualis fuerit iste homo Ioseph.) Luc. 2. Homil. 2. sup. Miss.

Conijcio, & honore quantùm possum maximo præuenio, ac veneror intimo corde, quem Sanctissima Trinitas singulari dilectione præuenit, & honorari voluit. Cui Pater æternus nomen sibi proprium propter Verbi generationem, illi commune fecit ob veram cum Matre illibata matrimonij celebrationẽ, & supra vulgarem Patrum adoptiuorum cõditio-

ditionem paternitatis decore honestauit, quia vir, & Sponsus Virgini datus est, & caput familiæ constitutus, cuius illa, & benedictus fructus eius membra fuere. Cui vt nutritio, tutori, custodi filius regendus, & alendus cõmissus, & creditus est, Cui Spiritus Sanctus ignis superni copiam, & larga fluenta gratiarum largitus est; & si sapientibus Theologis pluribus credimus, antequam exiret de Vtero materno, à labe originali purgauit, & sanctificauit. Quem Euangelista iustũ nominauit, quod est præstãtissimũ quoddã genus canonizationis. Quem sæpius Angelorum Voces Christo, ac Beatæ Parenti plaudentium audijsse, & colloquia cum ipsis amænissima miscuisse libentes opinamur. Qui vitam in altissima contemplatione, & honestissimis actionibus traductam inter brachia Saluatoris, & sponsæ dilectissimæ terminauit. Cuius animã purissimam Angelicarum legionum cohortes in egressu de corpore comitatæ sunt. Cuius corpus illis accensemus, quæ Domino resurgente resurrexere, & eius triumpho ascendentis interfuere. Qui modo Regi sæculorum, Reginæque Angelorum gloriosus comprehensor assidet in Cœlis, quibus cum vnum & idem habitaculum in terris Viator habuit. Qui suorum clientum curam gerit, preces benignus audit, nec irritas esse patitur; gratiosus quippe valde apud filium, & Matrem est, nec minus propitios experitur in Patria regnantes, quàm expertus olim fuerat humiles in exilio sibi subditos, & obedien-

Hi sunt, Ioan Gerson, Iacobus Christopolitanus Villegas. Isidorus in summa, & alij apud Hirronym. Gracianæ in fine vitæ S. Ioseph

Suar. de Incarn. disput. 21.

dientes. Ex ijs ergo qualis, & quantus vir fuerit Ioseph, argumenta mihi conijciendi paro, & motiua colendi colligo, quem coli ab Angelis non ambigo, vt dilectum Deo, vt parentem Iesu Christi, vt Virginis immaculatæ Sponsum, vt aulæ summi Imperatoris, & vniuersæ eius Curiæ decus, ac ornamentum.

Hymnus ad S. Ioseph.

PAter superni filij.
Matrisque Sponsæ Virginis
Dilecte Ioseph plurimum
Regi Angelorum, & Angelis.
Mellita te per oscula.
Purissimis labellulis
Libata Iesu millibus
Amplexibus cum dulcibus,
Ades benignus obsecro,
Et osculandam porrige
Iesu; tuamque dexteram,
Cor osculantis accipe.
Iesu tibi sit gloria,
Qui pascis inter lilia
Matris, Patrisque candida
In sæculorum sæcula.

Bo-



S. PETRVS

B

Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe. Thren.3.

Gratias Domine IESV, qui abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis iſtis, qui te ſecuti ſunt, & reliquerunt omnia propter nomen tuum. S.Bern.ſerm.1.in die Apoſt.Pet. & Paul.



S. Ioannes Baptista.

S.tam mrem habuit, et tñ nec mentis affu vincebatur vt in domo parentis cum periculo viueret castitatis.
S. Hier.

S. Ioannes Baptista.

In eodē quoq; Opusculo de S. Ioa. Bapt. hoc fermè modo differebam.

QVis, & quantus fuerit Precursor Domini assequi haud ambigua ratiocinatione possumus si per titulos, & laudum præconia è Sacris Scriptoribus, atque adeo ab eorum Magistro Christo decantata excurramus.

Primò namque fuit à Deo electus ad præparandam viam Domino, ad prædicandum aduentum Messiæ non iam venturi, sed nati: ad testimonium perhibendum de diuinitate Christi, & in tempore ad hoc missus.

Secundó modus mittendi fuit prorsus singularis, ac mirabilis. Nam in Elia, & alijs Prophetis fuit adumbratus (prædictus, atque promissus ab Angelo eodem, quo Christus; pronunciata eius conceptio in sacratiore parte templi hora incensi, verbis grauibus, & Magnificis. Nomen impositum, & nomini respondentia munia; & gratia indicata, quæ magnum illum reddidere.

Tertiò prædictiones omnes: Completæ sunt, & miracula multiplicata. Concipitur in vtero Sterilis anus: reuelatur conceptio Virgini ab Archangelo: inuisitur ab eadem in montanis Iudeæ: Sanctificatur ad eius ingressum in domum Zaccariæ; donatur vsu rationis, & ad suauissimam salutationem exultat in ventre matris, quæ & ipsa repletur Spiritu sancto; cognoscit Mysterium Incarnationis, & prophetat in eius Natiuitate

gaudium, & gratulatio multorum oritur cõfitentium, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illo. Soluitur vinculum paternæ linguæ; scribitur nomen Ioannis; Zacharias erumpit in laudes Dei. Benedictus Dominus Deus Israel. B. Virgo infantem amplexu, & osculo dignatur.

s. Bon. c. 5. de vita Christi.

Quartò ab Infantia secedit in Eremum Aegypti cum matre Elisabeth, eaque defuncta, Angelus curam eius suscipit. Vitam ducit Angelicam, non manducans, neque bibens, planè nec vestiens, addit Bern. Sicut enim non est locusta cibus, nisi aliquorum forte irrationabilium animalium, sic nec pilus Cameli hominum est indumentum. Cum Angelis sicut vnus ex ipsis dies noctesq; continuas versans: non enim aliud agit, antequam prædicatione, & baptismo pœnitentiæ se prodat hominibus puer, adolescens, iuuenis, vir Spiritu sancto plenus ex vtero Matris suæ, quam ætatis supergressus infantiam soli vacat diuinitati, vt Patres loquuntur.

Vide Corn. à lap. in c. 1. Luc. vers. 80

serm. de nat. s. Io. Bapt.

Quintò fuit Virgo, Doctor, Propheta, Præcursor Christi, & prædicator Deitatis eius, quem & baptizare meruit in Iordane, martyrij gloria clarus, quod mortem pro lege veritatis, & iustitiæ subierit.

Sextò laudatores habuit Prophetas Gabrielem Archangelum, ipsum sui parentem Zachariam, per cuius os.

Spiritus Sanctus laudes nati infantis celebrauit: Euangelistas qui fusiùs eas prosecuti sunt præter morem in alijs seruatum, Deni-

que

que quò Christus attulerat, qui præconijs magnificentissimis eum supra mortales extulit, qualia sunt; etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Ecce ego mitto Angelum meum ex Malach.& ex proprijs.Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierũ maior Ioanne Baptista. Quorum laudationibus hæsere Patres, Ambrosius in primis, cuius est hoc elogium. (Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior est Ioanne &c.) Matth.11. 64.

Sed similibus auctoritatibus libenter abstineo, vt comparationes vitem, & lites declinem vbi deuotioni sanctorum operari studeo.

Clausula esto pro adolescentum cautela.

S. Hieronymi sententia. S. Ioannes Baptista Sanctam Matrem habuit, & tamen nec matris affectu vincebatur, vt in domo parentis cum periculo viueret castitatis.




S · PAVLVS ·

B

Qui baptizatur à mortuo, & iterum tãgit eum, quid proficit lauatio eius? ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando? orationem illius quis exaudiet? Eccl. 34.

Ille lauatur à mortuo, qui per pœnitentiam mundatur à peccato: quem ſi contigerit eadẽ quæ punierat, iterando peccata committere, nihil contuliſſe videtur adhibita ſatisfactionis lauatio, quem maculauit inhoneſtius iterata facinoris turpitudo. S. Greg. in pſ. 4. Pœnit.



S. Ioannes Euangeliſta
Sic eum volo manerē &c.
Oſtenditur Virginitatē non mori ſed manere cum Chriſto, et dormitianem eius tranſitū eſſe non mortē
S.Hier.

QVæ Regum diademata, & Sacerdotum infulas ornauit aurea Virginitas, putas nè Apostolorum culmina suorum luce radiorum inornata pertransijt? Profectò si alibi in aulis Principum dominatum tenuit, & in omni humanitatis nostræ conditione, atque statu floruit, in Apostolico Cœtu primitias alumnorum suorum offerre Creatori non est cunctata, ne decus hoc cœleste deesset pusillo gregi, cui dare regnum, æterno Patri complacuit, & in supremo Ecclesiæ ordine collocauit. Non omnibus quidem Apostolis candidam istam induisse stolam concessum est, sed inter illos, quibus fœlicissima sors hæc obtigit, refulget S. Ioannis castimonia, & proximè sequitur Principatum eius Triadis, quam Ducem, ac veluti Reginam, cui tota Virginitas submittit lilia, præmisimus cohorti canentium canticum à nulla alia concinendum.

Ab hoc fonte lucis, & pudoris manauere donorum riui, qui profusa irrigatione animã, & corpus Diui fœcundauere, quos neque dissimulat ipse de se scribens, & latius à SS. Patribus sunt explicati. His si modicè libandis calamum admouero, indicasse me putabo capita laudum ineffabilium Apostoli, quẽ imitandum iuuentuti propono, atque vt in patronum seligat suadere connitor.

Ordior à vulgata, & minimè vulgari prærogatiua castitatis, propter quam Dilectus Ie-

antonomaſticè dictus eſt ab alijs, & à ſeipſo, non quia conſanguineus eius eſſet, filius Zebedæi, ſicut & Iacobus frater patriæ Bethſaidæ; aut quia ætate cæteris iunior, decorus aſpectu, mitiſſimus, innocentiſſimus; ſed quia à pueritia vſque tam ſollicitus caſtitatis amator, vt ne cogitationis quidem puluiſculo animum fœdarit-

(Reor, inquit S. Adhelelmus, ſeu Addelmus Epiſcopus lib. de Virgin. quod Sacer pectoris Dominici accubitor, & quartus Paradiſi gurges, qui potiſſimum ſeptenas Eccleſias Aſiæ inexhauſtis dogmatum imbribus irrigauit, ſpecialem diuinæ dilectionis prærogatiuam, ac priuatam amoris munificentiã ante cæteros Apoſtolos Chriſti præconio promeruerit, quia Chriſto, qui eſt cupidus caſtitatis amator, & Zelotypus ſanctimoniæ, informator; grata Virginitatis libamina oblationis ſpontanea deuotione litarat.)

Nitor hic pudicitiæ mirificè ſplendidus cauſa fuit familiaritatis intimæ, ad quam à Chriſto Domino admiſſus eſt; Nam præter illa duobus alijs Apoſtolis beneuolentiæ ſigna præſentiæ Transfigurationis in Monte, Thabor: Orationis in colle Olïueti, operationis ſecretorum miraculorum,. Hoc nulli datum eſt, vt recumberet ſuper pectus Ieſu, & illi verbo præ cunctis mortalibus propè hæreret, quod eructatum de corde Patris, & caro factum altius perſonare decreuerat per linguã & calamum eius, vt Rupert. loquitur. Inde hauſit ſecreta ſapientiæ ignota mortalibus, vt

In illud Io. 13. cum recubuiſſet ſuper pectus

per

per hoc, inquit S. August. significaret quia secreta altiora de intimo pectore eius potabat: vt ea diceret de filio Dei quæ paruulorum mentes fortassis intentas excitare possint &c. (Imo verò superuolat, ait Orig. B. Ioann. Theologus non solùm quæ intelligi, ac dici possunt, verum etiam quæ superant omnem intellectum, & significationem superuehitur, extraque omnia ineffabili mentis volatu, in arcana vnius omnium principij exaltatur &c.) Iccircò comparatur Aquilę, quæ sola inter volatilia pennata in sublime conscendit, & obtutum in sole figit, ita enim Ioan. super omnia creata transcendens in Dei sinũ penetrat. Erexit se (ait August. non solùm super terram, & super omnem etiam exercitum Angelorum. omnemque constitutioné inuisibilium potestatum, & peruenit ad eũ per quem facta sunt omnia &c. vt meritò Chrysost. præf. in Euang. Ioan. edoctos etiam Angelos Ioannis sapientia affirmet. (Ipsi enim Angeli, Cherubim, & Seraphim nobiscum per Ioannis vocem didicerunt, quæ cognouimus. Vt innotescat Principibus, & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.) Hunc porrò volatum ad diuinitatis cacumen alis Virginitatis tribuunt patres, vigorem videlicet præbente gratia, quę virginea roborat pectora, puras mentes splendidius illustrat, & in Angelicas transformat: & D. Ioannem radijs talibus coruscantem altius euehere non poterat; nisi transformaret in Deum. non enim aliter ascendere potuit

tr. 18. in Io.

Hom. 2 in diuers.

tr. 36. in Io.

Ephes. 3.

potuit in Deum, nisi fieret Deus, vt Orig. hom. 2. in diuers. quod sane intelligũt theolog.

Huius sublimitatis Argumento est detrectatio adorationis, quam exhiberi sibi à Ioanne vetuit Angelus: vide ne feceris conseruus tuus sum Apoc. 19. cuius vetiti cùm plures rationes afferantur, illa meo instituto congruentissima est, quæ B. Petro Dam. arrisit serm. 1. de S. Io. Bapt. (Refugit obsequium ab eo Angelus suscipere, & noluit adoratorem, quem nouerat æqualem, fratrem recognouit; socium iudicauit, subiectionis obedientiam non accepit, quia in omnibus sanctis semper angelicæ munditiei contubernalis, & cognata Virginitas.)

At qualis, quantiq; æstimandus fauor ille fuit, quo Christus in cruce pendens Virgini discipulo matrem, & Virginem discipulum Virgini commendauit, & rursum dedit in filium non per simplicem adoptionem, sed ciuili præcellentem, & efficacitate similem generationi S. Paulino visam epist. ad August. ab alijs comparatam verbis consecratorijs, quæ conficiunt, quod enunciant, vt meritò nomines Ioannem Christi fratrem; quia matrem eandem cum Christo habet; qua maternitate, vt nulla maior esse potest; Ita neque vlla hac filiatione honorabilior, neque tali germanitate vlla excogitari illustrior. Si quid latet in hac adoptione excelsius fraternitate Christi collata Ioanni, aperiat Orig. diuinorum scrutator, cui præfat in Ioann. libuit lectoris animum eò prouehere, quo si

forte

ſorte abduci, inquit, (Mariæ filius præterquam Ieſus Matri: Mulier ecce filius, & non ecce etiam hic eſt filius tuus, perinde eſt, ac ſi dixiſſet; Ecce hic eſt Ieſus, quem genuiſti, & ne ſcandalo ſit hyperboles, ſtatim ſubdit. Etenim quiſquis perfectus eſt, non amplius viuit ipſe, ſed in ipſo viuit Chriſtus. Cumq; in ipſo viuat Chriſtus dicitur de eo Mariæ, ecce filius tuus Chriſtus &c.) quia videlicet ob inſignem animi puritatem ſimilitudine refert filium tuum, & matrem meam, & dilectione ſingulari alter eſt filius tuus.

His inſtructus alis citius Petro præcucurrit ad monumentum, & eidem in mari ad piſcationem intento indicauit Dominum eſſe, qui de littore ipſos alloquebatur, quia nimirum Prior Virginitas virginale corpus agnouit, vt s. Hieron. Epiſt. ad Pammach. loquitur. s.Hier.l.1. in cath.Ioa circa mediũ.

Huic eidem Virgineæ armaturæ inuiolabili tribuendum, quod impij Domitiani iuſſu in dolium feruentis olei immiſſus illæſus, ac vegetior, quàm cùm immitteretur, exierit. Non ſecus tres pueros in fornace Babylonica ignis intactos reliquit, & Danieli corporum deuoratores Leones adblanditi ſunt teſte Damaſceno in hæc verba (Danielis corpus Virginitate obduratum leonum dentes infringere nequierunt. Tres verò pueros id per Virginitatem adeptos, vt eorum corpora igne confici non potuerint.) Quibus miraculis; quis dubitet exequandum, quod ignis qui dolij feruentis oleum extorreſecit; pudiciſſimos Apoſtoli artus recreauit, & contra l.4 de fid c. 25.

vene-

De laud. Virg. venena Virginitas, ait S. Adhelelmus Episc. loc.cit. (Cumq; furibunda paganorum ferocitate crudeliter cogeretur, vt mortiferum poculi haustum, in quo dirus, ac virulentus graminum succus; simulq; truculenta, & regulorum, & aspidum venena, quadrupedis rubetæ, & spalagi pestifera confectio humanæ naturæ nocitura habebatur potando, consumeret, præmisso Christi labarò, totus Christi Vexillo armatus, nec venenata draconum detrimenta tremebundus extimuit, nec horrida mortis discrimina pallidus expauit. Gemina quoque defunctorum cadauera, quos lethalis visus mortis exitio perniciter prostrauerat, in pristinum vitæ statum restituit. Et sic in castitare florens vsq; ad cigneam vetulæ senectutis canitiē feliciter permāsit.) Ast feris, ac venenis immanior fuit ira, & obcæcati o tyranni, quia non emolliuit ignis clementia, sed acerbauit magis, & Virginem quem agnouit elementum mutum, crudelitas dominantis ab illo inoffensum, fustibus castigauit, & ad ignominiam attonsum in Patmos insulam relegauit; vt nihil martyrio deesset præter mortem, quæ tot prouocata tormentis non est ausa accederē, quoad absoluta Apocalypsi, & alijs libris, Euangeliorom potissimum, & constitutis per Asiam Vniuersam Ecclesijs, & lustratis Phrygiæ, ac Indiæ oris permissa est, vel iussa non opprimere, sed blande exosculari, & annos agentem 95. aut eo plures iuxta varias de hac ętatē sententias, immortalitati animum transmisit, corpus in sepulchro re-

reliquit in quo manasse proditum est puluisculum mannæ adsimilem,opportunum omni pœne infirmitati remedium. Inde translatum esse corpus in Cœlum non defuere,qui opinati sunt aduersus eos; qui viuere adhuc illum cum Elia, & Enoch, & prædicaturum tempore Antichristi non temere arbitrantur. Et habet opinio vtraqne auctores graues cæterà varios, in hoc vnanimes, quæcumque mira rara in vita, ac obitu S. Ioannis euenerint; decora fuisse pudicitiæ, præmia Virginitatis, partus eximiæ dilectionis Christi.

Aggerant Encomia Patres, vocantq; Martyrem,cui neque animus martyrio defuit, neque pœnæ quas memorauimus, & aliæ quas in Christi morte, & post illam in diuturna fatigatione pro Christiana fide propaganda passus est.

Prophetam nouæ legis præcellentem, vt indicat Apocalypsis, quæ plena reuelationũ, & prædicationum est.

Apostolum, columnam, fundamentum Ecclesiæ, à Domino electum, qui doctrina, prædicatione, miraculorum operatione ei fundandæ,firmandæq; seipsum impenderit.

Euangelistam, & quidem cæteris eò præferendum, quod illi de Christi diuinitate pauca dixerunt, hic verò,quasi piguerit in terra ambulare ad apicem Trinitatis aduolauit, & Euangelium à tonitru illo incæpit (in principio erat Verbum) & de æterna generatione, de processione Spiritus Sancti, de tribus personis, de naturæ vnitate, ea eructauit mani-

nife-

nifestè, quæ secretò de Domini pectore hauserat, fluenta: videlicet sapientiæ, cuius thesauri omnes in illo residebant.

Doctorem, quia omnis terra doctrina eius repleta est, & non solum Asia, Phrygia, India ex eius ore audiuit altissima fidei mysteria, & didicit, sed ex eius scriptis vniuersa per orbem Ecclesia erudita promptum fecit armamentarium ad hæreses expugnandas, & mores formandos, corrigendosque, sic meritò dicitur tonitrui filius, ideſt tonitru, tam propter grandiloquentiam ex S. Epiph. quàm propter altitudinem secretorum reconditorũ, ad quorum intelligentiam excitati sunt mortalium animi, imo & Angelorum.

Verùm inter cætera laudum Encomia cadit in ipsum Angeli appellatio non ordinis inferioris, sed supremorum Cherubim ob scientiæ claritatem, ac profunditatẽ; & Seraphim ob eximiam caritatem, qua Iesum Dominum. & Virginem Sanctissimam vnicè dilexit, & fideles omnes in futurum, verbis ac sententijs amorem spirantibus hortatus est ob id maximè, quod præceptum Domini est, & solum sufficit, ipso testante, si seruetur. Sed hanc illi prærogatiuam contulit Virginitas, quæ soror est Angelorum, & homines illis exæquat, suffragantibus sanctorum calculis, vt ex sententijs, quibus Icones Virginum infra exornare meditamur, manifestum erit,

Præ-

Præbe fili mi cor tuum mihi Prou. 23.

Quid metuis offerre cor tuum? Offer sacrificium, contritionem cordis Domino Deo tuo, & dic ei cum Propheta, Holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non spernit.

S. Aug. vel quis alius tract. de 4. virt. Charitatis t. 9.



S. CLEMENS P. M.

Principalis filia Dei, & domina Regum est anima Virginalis. S. Bernard.

NOn est ambitiosa Virginitas, quæ consortium amat Humilitatis, & gloriam quærit à solo Deo. Ad palatia quidem, & auratas fores interdum diuertit; at frequentiùs priuatorum domos inhabitat, Et suo vbique splendore fulgens cultores, imos, summos ad fastigium humano sublimius euehit. Nulla dignitas Pontificiam æquat; nulla sedes Vaticana excelsior, quam Deus sanctitate, potestate, sapientia firmauit, & ne vllo careret ornamento, Martyrij gloria, & Virginitatis honore decorauit. Argumento est S. Clemens M. qui tertius à D. Petro Christi Vicarius acceperat (Verba sunt s. Bernardi) nobile genus, amplas possessiones, hæreditatem multam, scientiam quoque quamplurimam; ita vt optimus quidam illius temporis Philosophus haberetur; Acceperat hæc vniuersa à Domino, Dei enim dona sunt hæc. Fidelem ergo se præbuit ei qui dederat, cum pro eo contēpsit, omnia detrimentum faciēs, & arbitratus vt stercora, vt lucrifaceret Christum &c. Nimirum generis nobilitatem à Faustino parente longa auorum serie hæreditariam, diuitiarum affluentiam, sæculi honores, & totum eius fastum cruci Christi post habuit, & liberalibus disciplinis, quibus affatim erat imbutus, doctrinam à s. Petro haustam longe antepesuit. Ab ipso designatus sibi successor in Ecclesiæ Regimine spōte cessit Lino, & Cleto, ac post illos vbi manū,

Surius to. 6 & alij apud ipsum, & Baron. in martyr. 23. Nouemb. Corn. à lap. in c. 14. Apoc. vbi refert testim. S. Ignatij m. vocantis cū Virginem.

Serm. de S Clemen.

clauo admonuit, curas intendit omnes ad gubernationem; & laxatis retibus ad capturam, quà verbo, quà exemplo copiosam illam fecit, & piscium multitudinem conclusit, ac fidelium cœtum mirificè amplificauit. certabant tyranni cum ministris suis, vt eum minuerent, dissiparentque, ac in selecta Christi membra sæuiebant atrociter, quorum nomina in cœlis scripta, ne perirent in terris, septem vrbis regiones totidem Notarijs adscripsit, qui Martyrum Passiones, & Acta diligentissimè cõquisita scriptis mandarent, & à Posteritatis obliuione tuerentur.

Et ne in Ecclesiæ campo, Rosarum, hoc est martyrum fœcundo, deesset liliorum, Virginum scilicet, copia, ad amplectenda Pauli consilia Virginitatem nuptijs præferentis passim viros, ac fœminas hortabatur. Testis est, vel vna Flauia Domitilla Domitiani Imperatoris ex sorore neptis, Aureliano nobilissimo iuuenum Romanorum desponsa, quæ Nerei, & Achillei Eunuchorum suasu maluit sacro operiri velamine, & Virginum sponso sacrari, quam profano coniugio copulari. Atqui fructus hic calturæ Clementis fuit, qui in fide, ac Religione Magister erat Nerei, ac fratris, eorumq; vtebatur opera ad istiusmodi lucra facienda. Quo nomine contraxit multorum odia, vnde ortæ rixæ, & querimoniæ nobilium, ac plebeiorum, quæ ad aures Mamertini vrbis Præfecti, tum ad Imperatoris Traiani, peruenere, insontem Clementem calumniantium, & tanquam auitæ

reli-

religionis euersorem, & nouæ superstitionis institutorem ad pœnam, necemq; postulantium.

Vocatur ergo in iudicium reus: adolere iubetur thus Dijs patrijs; & si renuat anticipata sententia in exilium amandari. Negat audacter honorem illum Idolis deferre se velli qui Deo cœli conditori, & Christo eius filio debetur, cuius fidem veram esse, ac ad salutem necessariam speciosis, ac validis confirmat argumentis: exilium se haud reformidare, qui mori etiam pro Christo habeat in optatis. Nauigio imponitur, & vltra Euxinum Pontum relegatur. Lapidicinæ damnatur (proh scelus, infandum) Petra Ecclesiæ, Christi Vicarius. Flagrabat desiderio sequendi suum Pastorem numerosus grex, fidelium Romæ, à se conuersorum ad fidem; indultum sequi pluribus, quot quot videlicet nauis angustiæ capiebant. Hi velis generosæ spei in cœlum expansis, marinos fluctus secundo cursu sulcantes ad Chersonæ solitudinem incolumes peruneere, quo duo Christianorum millia ab impio tyranno prædamnata, sub latomijs desudabant. Hi Clemente cum socijs conspecto, quibus incessere lætitijs, quanta cum hilaritate obuiam processere? resonabat aer vocibus clamantium Benedictus, qui venit pro nomine Domini Pastor noster, gaudium, & consolatio nostra. Iam nobis exilium patria iucundius fuerit, & terra hæc deserta invia, & inaquosa Romano solo, & septem collibus amænior, in flori-

riferum viridarium conuertetur. Non vltra lapidicina grauis nobis videbitur, non durus labor, non amarus ſudor, non acerba mors ipſa ſi cum ipſo moriamur. Hæc & plura, exultantes in loco horroris, ac mæſtitiæ, Chriſti exules: quos vice verſa amantiſſimus Paſtor oſculo Sancto, ac benedictione paſtorali impertitos ſolari inſtitit ſignificatione gaudij, & paſſionum participatione, quam non ſuis meritis, ſed ipſorum precibus adſcribendam à ſe fatebatur. Confecuta ſunt gratulationis officia, cuncta quæ deſiderari poſſent in bono Paſtore munera paſtoralia erga gregem ſuum; verbi diuini pabula miniſtrare; Sacramentis munire, ægris adeſſe conſilijs iuuare, quæque alia leuamento corporũ, ac animorum eſſe poterant, ſolerter obire. Quæ ſibi grata fuiſſe cœleſte numen miraculis multis, ac inſignibus declarauit. Horum illud celeberrimum, quod in ingenti potabilis aquæ penuria, qua chriſtiani in eruendis, ſecandiſque marmoribus diſtenti, laborabant, aſcendit in propinquum collem vbi vidit agnum candidiſſimum dextero pede humum validè percutientem, educentemque riuum copioſum, quo præſenti ſiti abundè ſubuentum, & in poſterum labori occurſum, quo conuehenda fuerat vnda à loco ſex milliarijs ab ea commoratione diſtante. Huc huc
Exod. 17. exempla Moyſis, qui percuſſit petram in Horeb, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, & bibit omnis populus, & iumenta, & pecora eorum. Aſt non in eluuione illa

be-

beneplacitum Deo eſt, ſicut in iſta ſcaturigine, quam gregis Chriſti Paſtor ad ſitim pro fide Chriſti æſtuantium ſedandam precibus impetrauit. Ibi vexatus Moyſes populi rebellis clamoribus, iuſſu indignantis Domini ſilicem percuſſit, ictu vehementi tanquam ſigno indignationis diuinæ aduerſus nequitiam gentis murmurantis, hic miſericordia tactus Clemens erga Chriſti famulos patienter tribulationem tolerantes, dignus eſt habitus, cui aquarum, fontiumq; creator agnum oſtenderet, qui vnguis fodicatione fluenta proliceret ad irrigandam collis faciem, & aridam fidelium pectora recreanda.

Petræ Horeb, & circum iacenti oræ manſit nomen tentatio, ac iurgium: Colli Clementino ritè aptatur vox, conſolatio, & benedictio. Quæ deinceps aucta eſt, cum vulgante per vaſtam regionem miraculum adeo luculentum fama indigenas ad illud videndū excitauit, & inde capta occaſione Clemens turbam innumerabilem ad Chriſti fidem traduxit, & eam ardenti amore, ergà ipſum inflammauit, vt breui ſeptuaginta templa vero Deo erexerint, & confractis idolis vexillum crucis Boſphorum, Cimmerium, Euxinum, Mœoticam paludem in ſui admirationem, ac venerationem traxerit. Quæ vbi Traiano Romæ renunciata fuere, actus in rabiem, mittit eò Præſidem Aufidianum, quò currentem Euangelij rotam minarum, ac pœnarum obicibus ſufflaminet, & gliſcentis chriſtiani feruoris flammas ſiſtere ſi ne-

queat, eruoris effusione restinguat. Vt eò peruenit non imparis à Domino crudelitatis minister, obstupuit tantam inanium Deorum stragem, ac tam vberem Idololatrarum ad Christum accurrentium segetem. Et cum aduerteret ægrè retardari posse barbaræ gẽtis spõtè iam fidẽ amplectentis cursũ, remedium à Clementis internecione petere constituit, quòd eo sublato tanquam fonte, arescerent riuuli prædicationis, quibus vetera, ac nouella fidelium germina inspergebantur, & succrescebant. Iubet ergo Præses immanis Clementem capi, & ad mare deduci, alligataque ponderosa ad collum anchora in profundum demergi. Accurrerat ad littus copiosa Christianorum multitudo, & hortatione Cornelij, ac Phœbi insignium martyris discipulorum, mixtas lacrymis preces summo numini obtulere ne pateretur corporis pontificij dispendium per vndosos vortices ferri, aut à marinis belluis deuorari. Neque veró irrita fuit humilis,ac feruens deprecatio etenim mare contra vim naturalis impetus ad tria milliaria retrocedens commodum præbuit illis iter, vt sicco vestigio eo progrederentur, vbi templum angelico ministerio fabricatum, arcam marmoream martyris conditorium, & anchoram ipsi hærentem reperere. Atque vt patentius esset miraculũ incredulis Ethnicis, qui non aderant quando conuersum est mare retrorsum, recurrente annuatim submersionis die, recurrebat prodigij renouatio, ad quam intuendam curiositate

tate ducta effundebat se agminatim gentilitas tota, & sepultam in freto infidelitatem relinquebat. In quo solemni concursu illud etiam mirabile contigit, quod relictum in sacello puellum, vel parentum in curia; vel casu alio dormientem; regurgitantes ad littora fluctus non extinxere, ideoque redeuntes anno sequenti parentes consueta miraculi die, incolumem, ac vegetum in eodem quo obdormierat loco, post integrum annum inuenere, suaui adhuc delinitum sopore; & nulla penitus parte corporis offensum. Eorũ porrò qui varijs vexati morborum generibus ad sepulchrum illud angelicum adibant, seu deportabantur, & sanitati restituebantur, maior est numerus, quam vt facilè queat recenseri. Longe verò maior erat eorum qui tam fulgido miraculorum splendore exciti eorum auctorem agnoscerent, & ad eum colendum conuerterentur, adeo vt quingenti per dies singulos lustralibus aquis tingerentur, nequicquam obsistente, & fremente Adriano, cui Idololatriæ, excidium, & Christianæ fidei fœlix progressus per litteras nunciabatur.

Porrò quantæ molis fuerit tanta conuersio, ex gentis illius feritate constare potest; sed diuinæ potentiæ æque facilè est, dummodo velit scytham, & barbarum, ac mitiorem Romanum ad fidem vocare, traherèque. Quales autem Pontus Euxinus homines gigneret, educaretq; placuit Tertull. describere, vt describeret Marcionem. (Illum, inquit, gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen L. 1 adu. Marc.

men habitant in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua, vt plurimum nuda &c.) Parentum cadauera cum pecudibus cæsa, conuiuio conuorant. Qui non ita decesserint, vt esc atiles fuerint, maledicta mors est. Nec fœmineo sexu mitigantur secundum pudorem: vbera excludunt, pensum securibus faciunt: malunt militare, quam nubere &c.)

Quæ portenta, ac fœditates purgatæ baptismo sunt, & prædicatione, curaque pastorali aboleri in dies cœpta, tandem miraculis insequentibus obitum vestigia vlla non reliquere. En quales habuit Propagatores fidei Virginitas? dignitate videlicet supremos nobilitate primos, sapientia splendidos, sanctitate coruscos, martyrio inclytos? Cœterum æquum fuit vt Roma recuperaret demortui corpus, quod viuum suo in sinu aluerat. Itaque post oliquot sæcula Cyrilli Slauorum Episcopi opera Romam trãslatũ fuit, & in Basilica suo dicata nomini collocatum, populi concursu colitur, vna cum S. Ignatij martyris Antiocheni: Fundè rosas martyri Roma, funde lilia Virgini, appinge coronas Pontifici, sculpe palmas triumphatori; incide Agnos gentium sospitatori; & memorabere, amatum, ac inuitatum Clementem cum sitienti populo ad bibendum ab agno cœlesti venam aquæ aperiente, vt innotesceret in eorum descriptum albo Vicarium suum, qui sequuntur Agnum quocunque ierit.

Per-

C

Peruersæ cogitationes separant à Deo &c. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sap.

Ibi est cogitatio tua vbi est affectio tua, Ibi cor tuum vbi est desiderium tuum &c. Si mala cogitas Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus sine intellectu, eritque templum Dei, spelunca Diaboli, quoniam quem Deus deserit Diabolus arripit. S. Bern. de Incarn. Dom. c. 3.



S. Nicolaus Episc. Myr.

Cum Virginitas secum sororem habuerit elemosinam in eam nulla aduersa poterunt . S. Chrysost.

IN hoc nimirum si in aliquibus aliquando Præsulum Sacrorum, suarum pompam diuitiarum explicasse Virginitas ambit. Conceptus eius in vtero materno fructus fuit orationis parentum, qui Pataræ in Lycia genere, & opibus clari, sed prole cassi, sterilitati remedium precibus impetrarunt. Vix editus in lucem puer, & baptismo lustratus, radijs micare cœpit sanctitatis. Nondum esse didicerat, & ieiunare sciebat, quippe bis in hebdomada, feria videlicet quarta, & sexta semel tantùm sub Vesperam lac sugebat infans in incunabulis edentulus, neque vlla nutricis arte lactari, secus quam reliquis diebus soleret, quibus puerorum more sæpiusculè labellis papillas premebat. Qualem putas egisse vitam aperta rationis ianua, qui adhuc clausa, culpæ incapax, à pœnitentia illam & à ieiunio auspicatus est? Nimirum adolescentiam non modo disciplinis exultam, & ab omni alienam leuitate, sed pietate, abstinentia, precandi studio nusquam intermisso decoratam, & virtutum ornatu sacerdotio dignam reddidit; ad quod hinc libens, vt Christo se arctius adstringeret; inde illibens, quod se indignum reputaret, patrui materni Episcopi suasu conniuentibus parentibus promotus est. Quem gradum non honori, sed oneri deputans pristinæ exercitationi habenas laxauit, victum antea tenuem magis contraxit vestitum ad vul-

P. Antonius Beatillus noster scripsit volumē integrum de eius vita.

vulgarem tunicam, & pallium haud absimile arctauit, qualia videlicet apud honestos regionis Sacerdotes in vsu erant, nil singulare, nisi fortè munditiem præferentia. Vinum mensæ interdictum; plumis, & omni mollitudine lectus destitutus; precationis, ac lectionis sacræ designatæ horæ, plures, & quod supererat: tempus, beneficentiæ, in pauperes, in Orphanos, in desolatos impendebatur. functis in communi Prouinciæ pestilentia parentibus, non tam hæres, quàm dispēsator bonorum factus, in egenos illa liberaliter distribuit. Et accidit in hac erogatione factum memorandum quod cælasse ipse nocturnis tenebris arbitratus, in luce meridiana fama vulgauit, & super tecta prædicauit. Ciuis erat Pataræ haud ignobilis, & fortunæ bonis abundans, sed quæ humanarum rerum conditio est postmodum ad eam egestatem prolapsus, vt neque haberet vnde tres filias forma elegantes, & nubiles aleret, nedum matrimonio opportuna dote locaret. Et ò duram necessitatem, deterrimo consilio nundinationem de earum pudicitia facere meditatus, propius facinori aberat; quando Nicolaus re ad se delata sacculum plenum pecunia in conclaue per fenestram de nocte iniecit, quo reperto, apertoq; mirificè exhilaratus parens, quòd dotem pro vna filiarum insperanti, ac immerenti diuina prouidentia suppeditasset; indoluit vehementer de concepto flagitio, & in melius mutata deliberatione, desperare desijt. Verum cum Nicolaus

laus secundò idem faciſſet, ac tertiò, deprehenſus ab obſeruatore eſt; ac pro benefactore intima cum gratiarum actione agnitus, & pro Sancto, vbi ſe deinceps dedit occaſio prædicatus. atque ita trium puellarum pudori conſultum eſt, & honoratis coniugijs, pellicatus periculis occurſum. Inter hæc ingẽs viſendi ſacra Paleſtinæ loca cupido animum Nicolai inceſſit, & cõnſcenſa naui per mare tranquillum ſulcabantur vndæ ſecundo curſu haud abſque ingenti vectorum lætitia, quæ repentino nuncio turbata eſt. Quippe Nicolaus horrendum ſpectrum obiectum nigerrimi Mauri incuitus eſt diſtrictò gladio minitantis, & nauigium ſubuertere connitentis; intellexit vir Sanctus impendere tempeſtatem, inuidia Dæmonis concitandam, & Nauarcum, comiteſque monuit, ne imparati fluctibus oppprimerentur: Et ecce paulò poſt validos ventos exſurgere, mare exaſperari, lignum concuti, & tumentibus vndis tantum non abſorberi: nec arte nautica vitari poſſe exitium, ſed precibus Nicolai, qui diuinitus illud præuiderat auertendum; pleroſque omnes conclamare, & ad ipſum confugere, vt quantocyius propitiare ſupplicatione numen feſtinet: nec inanem fuiſſe ſpem declarauit exitus, quanto namque ardore licuit, ſe dedit in preces Sacerdos Sanctus, & orare perſeuerauit donec ceſſauit tempeſtas, & facta eſt tranquillitas magna, ac nauis incolumis ad Paleſtinæ littora appulſa eſt. Inde reuerſus in patriam, cum ingenti deſiderio
in

in remotam aliquam eremum secedendi, vbi procul à turbis, & humanis congressibus soli Deo viueret, & quæreret faciem eius semper, monitus est diuinitus de solitudine cogitationem, vt deponeret, & eò inflecteret, quò paulò post cœlesti indicio inflectendam doceretur. Interim honoris pondus, quo grauabatur in patria à conciuibus, & plausum popularem inique ferens, Myram Lyciæ Metropolim contendit, & Charybdim vitasse ratus in scyllam incidit. Etenim id temporis mortuo Myræ Præsule prouinciales Episcopi ad comitia eò conuenerant, vt alterum in eius locum ad plura suffragia subrogarent: sed instar eorum omnium fuit Dei monitum vni eorum reuelantis suæ esse voluntatis, vt eum eligerent, qui mane sequenti primus templum ingrederetur Nicolaus nomine. Reuelationi respondit euentus; cum enim sacer ille cœtus postridie ante solis ortum conuenisset, vt ingredientem obseruaret, primus occurrit Nicolaus, qui numinis adorandi ædem sacram adire summo mane consueuerat. Omnium ergo Episcoporum consensu abducitur, & Myræ Episcopus renunciatur. Quam dignitatem admittere quidem inuitus cogitur, sed quia ad eam virtutes omnes Presuli necessarias attulit, tam excellenter tractauit, vt Deo miraculis concurrente admirationi esset populis, & ipsi Imperatori Constantino venerationi summæ, quam in dies augebat fama rerum ab illo gestarum, & mirabilium, quæ per ipsum operabatur Deus:

Inter quæ non postremum, quod cum tres tribuni ac Duces, negotio pro quo missi in Phrygiam ab eodem fuerant fœliciter confecto, Constantinopolim reuersi per inuidorũ calumnias in carcerem coniecti, & ob falsas criminationes tandem morti adiudicati, ad opem Nicolai longè absentis in præsenti desperatione confugiunt, & eam assequuntur. Nocte quippe fatale mane antecedente, quiescenti Imperatori, & Ablauio Vrbis Præfecto sistit se Nicolaus, & seuerè mandat, vt insontes liberent, pænasque minatur ni statim pareant; & paruere sine mora; ac libertati tres Tribunos è mortis faucibus ereptos asseruere: Hi deinde missi sunt cum muneribus pretiosis ab Imperatore ad Nicolaum, cui nomine ipsius gratias agerent, & preces eius apud Deum demisse poscerent. Atq; hæc id temporis euenere, quo Maximiliani, & Diocletani persecutio deferbuerat; nam ea vigente exilio, & carcere damnatus erat Sanctus Episcopus, quod impijs eorum mandatis posthabitis non desisteret fidem Christi prædicare, pro qua mori fœlicitati ducebat. Non diu post celebrandum fuit Nicænum Concilium à 318. Patribus coactum, quorum vnus Nicolaus, qua erat sanctitate, doctrina, arcta cum Cœlestibus familiaritate, mirificè causam Catholicam aduersus Arianam impietatem promouit, & ad stabiliendam Christi diuinitatem ex sacris litteris ea protulit, quibus conttadicere non nisi per impudentiam, & ignorationem nequirent Aduersarij.

Auctoritate Sum. Pont.

Inde ad suam reuersus Ecclesiam porrò perrexit virtutibus, & miraculis clarere, quæ ab antiquis scriptoribus collecta accuratè persequitur P. Antonius Beatillus noster in volumine de vita S. Nicolai. Tandem & ipsam viam vniuersæ carnis ingressurum mors paratum per omnia inuenit, at hanc præuertẽtes Angelos inter illa verba in manus tuas cõmendo spiritum meum exeuntem animam suscepisse, & ad patriam beatam adduxisse. Sequentia signa declarauere. Corpus honorifico sepulcro conditum, & miraculorum numero, ac magnitudine à Deo illustratum; Inter quæ illud eximium, quod extemplò scatere cœpit oleo flagranti, ac humanis infirmitatibus salutari, hodieque fundere perseuerat è tumulo in templo Barij Appuliæ vrbe, quo translatum est post annos septingentos septuaginta quinque, ingenioso furto à Barriensibus Mercatoribus eò appulsis, qui distractis quas aduexerant mercibus omnem conatum, ac industriam adhibuere. vt exuuias illas sacras de sepulcro magnifico auferrent, & secum Barium adsportarent. Suæ porrò cupiditati effodiendi pretiosum thesaurum obtendebant imminens Turcarum periculum, qui vastata circum regione, & Myra occupata timebantur in religiosa templa, & lipsana sæuituri, si quando, vt non raro accidit, vexandi christianos libido, & furor barbarus ferocissimos animos inuaderet. Certè quidem iam tum desolatum templum ab eorum ingressu, antiquam frequentiam, & cul-

tum

tum populorum, & præsentem solitudinem ingemiscebat; nam & Monasterium plenum antea monachis, quatuor duntaxat numerabat, & peregrinorum concursus omnino cessauerat, vt minus difficile proinde fuerit corpus inde transferre, & minus periculosa rapina, quam sibi licitam, & Diuo caram haud dubijs argumentis coniectabant mercatores illi, ideoque audaciores redditi ad rapiendum, astu & violentia vsi aduersus Monachos pauculos eorum se conatibus opponentes.

Clausula esto fauor, ac protectio, qua castitatis amantes tuetur, & amat Nicolaus, vt sponso Virginum in primis caros. Prolixi esset [illegible]ris per exempla vagari, vnius meminisse pretium est operæ perquàm congruentis, vt pòtè adolescentis Selectorum Coronæ adnectendi, quam narratio nostra Virginitati cōtexit. Bernardus hic est non ille Clareuallensis Abbas, sed Augustanæ Ecclesiæ Archidiaconus Ricardi in prouincia Gebenensi Dynastæ Sabaudi, nobilitate, ac potentia clari filius, qui Parisijs ad litterarum studia missus ita se illis impensè dedit, vt tamen pietati, & Dei timori, amorique primas concesserit. Vsque adeo in vtrisque profecit, vt de consecranda creatori Virginitate deliberarit. Huius parens instructorem adiunxerat Arsenium alterum probitatis, benignitatis, ac morum grauitatis sibi haud ignotæ. Huic tanquam vnicè caro consilium suum aperuit Bernardus minimè veritus adiutorem se in executione

sanè ardua habiturum, quem in educatione habuerat veluti Angelum Thobiæ directorē. Neque falsus opinione est; Audito namque pij discipuli proposito nimium, quàm gauisus pius Magister, impedimenta quidem decumana, & obices prope ineluctabiles præuidit, sed cessura omnino Dei inspirantis potentiæ non dubitauit. Itaque non modo deliberationem laudauit, & tanquam de cœlo missam maximi faciendam verbis grauissimis confirmauit, sed insuper comitem se fore promisit, & quòcunque Deus vocaret secuturum: esse opus supra vires humanas, sed diuinis perfacile; ad eas recurrendum; & quia per illam regionem increbuerat fama miraculorum frequentium per Sanctum Nicolaum patratorum, vnanimi consensu eius se tutelæ commendauere. Ipso duce, ac patrono prosperum rei exitum sperauere. Et sanè vt cœlestem partum elideret in semine Stygius veterator, qua vi, qua astu machinas opposuit, quibus inchoatæ turris euangelicæ initia quaterentur; at superno auxilio,& fraudes elusæ, & arietes disiecti sunt: grauius à parente periculum subortum, cui declinando opus miraculo fuit cæteris haud absimili, quæ passim multis iam sæculis, locisque Nicolaus edere perseuerabat. Reuocato ab Academia Parisiensi Bernardo sponsam nobilitate clarā, forma splendidā,dote opulentā, agnati quæsierant, & nuptijs opportuna iam parata erant omnia, præter iuuenis consensum, quem pater minacijs, Mater blanditijs

ore-

oretenus extoresrant, nam mente à coniugio aliena repostum manebat consilium Virginitatis, quo impellente, cum modus euadendi laqueos, vndique tensos non suppeteret, humanitus, ad Beatissimæ Virginis, & Sancti Nicolai sui patroni opem implorandā confugit, quam statim præsentem sensit; nāque eadem nocte, qua clauso cubiculo, & arbitris omnibus remotis preces ex intimo corde fuderat, quiescenti Sanctus Episcopus apparuit, iussitq; bono esse animo, euasurum impune è pedicis, quas auida successionis affinitas ad altiora aspiranti tetenderat. Augustam Prætoriam fuga clancularia abeundum, modo & comitatu mox indicando; inter quæ monita videri desijt, & experrectus adolescēs nil de veritate ostenti, & promissi hæsitans, lecto se eijcit, actisque Deo gratijs prolixam exarat epistolam parentibus, qua certiores de cœlesti vocatione ad cœlibatum facit: acquiescere diuinæ voluntati suadet: memoriā erga ipsos obligationis, vbi vbi terrarum futurus sit, seruaturum: tristitiæ parcant, & benedictionem vice indignationis impēdant, & his affinia, quibus vt finem fecit vix obsignatis litteris, en repente Sanctus Nicolaus cum tutelari Angelo sistit se vigilanti eadem forma, habituque, quo dormienti conspiciēdum se dederat, & ad discessum vnà secum inuitat. aperitur cubiculi fenestra, & quia in præruptam, altamque rupem descensus est, per eam demitit se, & placidè deducitur fortunatus Iuuenis inter æthereos comites

medius, ac per vias prorſus ſibi ignotas inſtitutum iter paucis horis abſolute, cui emetiendo vix dierum ſpatia ſatis erant. In ipſo quippe diei exortu, quo Ciuitatis portæ reſerantur, ingreſſus Auguſtam Bernardus ad Archidiaconi proxima nocte de aduentu à S. Nicolao præmoniti, diuertit hoſpitium, & perbenignè exceptus eſt; Ipſi verò duces Cœleſtes ad patriam, vnde venerant reuerſi.

Reliqua verò planè miranda, quæ virgineus Iuuenis in vita, & morte ſua effecit, monumentis conſignauere ſcriptores graues ex quibus particulam decerpſimus, quæ inſtituto noſtro congruit, non tam hiſtoriæ conſcribendæ, quàm lilia Virginum è floridis hiſtoricorum viridarijs colligendi gratia.



C

Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Prouerb.4.

Vas electionis in cuius ore Chriſtus reſonabat, macerat corpus ſuum, ſubijcit ſeruituti; & tamen cernit naturalem carnis ardorem ſuæ repugnare ſententiæ, vt non quod vult, hoc agere compellatur, & quaſi vim patiens vociferatur, & dicit. Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius: Et tu te arbitraris abſque lapſu, & vulnere poſſe tranſire, niſi omni cuſtodia ſeruaueris cor tuum. S. Hieron. epiſt. 4. ad Ruſtic. Monach.



S. LVDOVICVS EPISC. Tolosanus
Fælices qui in hoc præsenti sæculo nequam aduenas se et peregrinos exhibent, immaculatos se custod.^it ab eo.
S. Bern.

S. Ludouicus Episcopus Tolosanus.

QVanquam ò Religio Seraphica exaltata es, vt Cedrus in Libano, & ad honoris culmen ita euecta, vt Cœlum tangas; illud tamen supergressus Ludouicus tuus in ancipiti reliquit, plus ne splendoris à tuo sole acceperit, an in te refuderit ex suo. Illud certum summo Numini libitum Francisco pauperi, & humili submittere Reges, ac Principes, qui colla sponte subderent legibus eius, & regales coronas, ac purpuras posthaberent lanis, & funibus eius. Hos inter Sanctus Ludouicus Episcopus Tolosanus eminet, cuius gesta præclarissimæ graues scriptores monumentis consignauere, nos strictim pauca attingemus, quæ Virginitatis honori deseruiant, & castimoniæ desiderium lectori inijciant.

Sur. tom. 4. ex s. Anton. p.3. titul. 24. Chron. s. Franc. p. 2. lib. 6.

Carolus primus cognomento Martellus Neapolis, ac Siciliæ Rex, Sācti Ludouici Galliæ Regis Frater, Carolum Secundū genuit, ex quo Ludouicus noster ortus est. Mater illi Maria Regis Hungariæ filia, & soror trium Regum Sanctorum Stephani, Ladislai, Henrici, ac neptis Elisabethæ Hungaricæ, pariter Sanctę. Quale germen ex quali semine? Ad annum salutis 1275. reijciunt eius ortum; sed de hoc, sicut & de natali solo controuersia est; quippe natum Brincolæ, quæ est arx in Prouincia haud procul Marsilia, asserunt plures; alij Nuceriæ Paganorum, seu Sarracenorum malunt; sed labor est hic in tenui, litis di-

rem-

remptio; me iuuat sententiam priorem sequí eundem locum natiuitatis, & mortis existimantem: illa certa, & grauiora. Cœpit ab infantía mores exprimere patrui Sancti Ludouici Regis, in cuius gratiam nomen ipsi ad Iustrales vndas impositum. Nondum rationis affulserat lumen, & orare consueuerat, adhuc nescius quid esset oratio: Oderat blãditias Regijs pueris debitas, & à delitijs in medio deliciarum áulicarum abhorrebat, & quod supra puerilem teneritudínem est, amabat asperitatem, & carnís mortificationem adeo impensè, vt septennis molli strato cõtẽpto, humi cubitaret quod custodes, & ípsa Regina parens affirmauere. Procul à pueritia leuitas omnis puerilis in verbis, in aspectu, in incessu. Nihil illo erga Deum religiosius, erga maiores obsequentius, erga pares, qui pauci erant, amabilius: vt puer adhuc præferret virum grauem, ac maturũ, nisi quod grauitas in eleganti iuuenili forma nescio quid iucunditatis maioris, ac admirationis, quàm in adulta parit. Crescebat cum virtute eruditio, quà ingenio, ac diligentia; quà cura, & instructione præceptorum quęsitissimorum, quorum fuerat curæ commissus. Ita fœliciter in Regia paterna domo properabat ad adolescentiam pueritia, cum ecce turbine bellicò turbata publica pax, & cursus studiorum Ludouici interruptus. Quippe inter Petrum Aragoniæ Regem, & Carolum Regis Galliæ fratrem, ac Ludouici auũ exorta discordia, degenerauit in atrox bellum

na-

nauale potissimùm, cui finem tandem dedit victoria à Petro relata, cum alijs nominibus memoranda, tum verò quod Carolus Secundus Ludouici pater captus, ac Barcinonem Petri Vrbem deductus est. Non diu post composita inter binos Reges pax, hac inter alias conditione, vt dimisso Carolo, obsides darentur tres filij eius; quorum maior natu erat Ludouicus annorum tunc vix quatuordecim. Fuit captiuitas hæc honorata filijs, quia redemere paternam; & quia stirpis regiæ, affinitate Regum illustris, ac proinde non destituta commodis, quæ meritis debentur Principum, & à Victore Rege non negabantur.

Certè quidem Ludouico iam tum diuinorum meditationi assueto non adeo grauis fuit vt animum turbaret, Prouidentiæ Numinis in aduersis acquiescentem, & valde etiam tolerabilem reddebat virorum religiosorum doctrina præstantium, consuetudo, ac familiaritas, quæ non solatium modo; sed & fructum afferret maximum doctrinæ, ac pietatis. Hos potissimum ex ordine Minorum Franciscanorum selegerat, vt Magistris vteretur, & conscientiæ arbitris, tantumque sub eorum disciplina proficiebat, vt theses philosophicas, ac Theologicas propugnare palã, & oppugnare esset idoneus. At præcipua ipsi oblectatio sacrorum Bibliorum, quæ manu propria descripsit in integrum, & auro minioque eleganter ornata secum tulit in Italiam, & Bibliothecæ Senensi fratrum Mi-

norum

norum, dum illac transiret, dono reliquit. Tenuit captiuitas annos septenos, quos bonus adolescens non in litterarum modo studijs, sed & in varijs pietatis exercitamentis traduxit, quibus priuatim, ac publicè, quoad fas erat captiuo, prȩludebat gloriæ, ad quam summus Imperator æterno destinato parauerat in cœlo, & in terra. Præter tempora contemplationi designata horas Canonicas ex ritu Franciscano recitabat, & Sanctæ Crucis officium expansis brachijs in honorem Dominicæ Passionis percurrebat. Voluptas illi Nosocomia inuisere, ægris inseruire, egenis benignè subuenire. Curauit aliquando leprosos omnes Barcinone degentes in vnum locum congregari, vt eorum pedes ablueret, & alijs modis solaretur. Hos inter vnus erat, vt statura procerior, ita & morbi fæditate, horribilior: hunc duo principis fratres natu minores, ne aspicere quidem absque nausea sustinebant. At verò Ludouicus huic maiori cura præsto esse, lauare, tergere, cibos ministrare, solari verbis humanissimis, die insequenti: feria videlicet sexta hebdomadæ sacratioris, quæsitus est per quam studiosè Semigigas hesternus ille leprosissimus, & nusquam inueniri potuit; nec ex vano facta cōiectura maiorem fuisse homine, qui leprosum repræsentauerat. Non omittebantur aliæ patiendi occasiones spontè quæsitȩ, præter illas quas secum fert exilium a patria, à parentibus, ab amicis; nam ieiuuijs, cilicijs flagris castigabat corpus suum, non tam vt re-

redigeret in seruitutem, minimè rationi, & legi diuinæ rebelle; sed vt Christo conforme fieret, in cuius meditanda passione multum temporis insumebat: Ideoque vt peculiare beneficium adscribebat diuinæ prouidentiæ, quod abstractum ab vberibus, & delitijs aulæ paternæ, lacte consolationis internæ nutriret, quam litterarum scientia, orationis studium, carnis afflictatio, piorum hominũ familiaritas suppeditaret. Qui laicus adhuc, & adolescens sæcularis tam liberè, tamque liberaliter vela pandebat auræ desuper spiranti, quanta putas alacritate, ac promptitudine regendam, impellendamque eidem permisit nauem Sacerdotij, ac Episcopatus, vt ipsam ingressus est? Sed immensa heroicorum facinorum spatia prospera nauigatione conficientem cymbula nostræ orationis non assequitur. Amat iccirco littora, hæretque terminis, quibus adolescentia Ludouici definita est, ac proposita ad imitandam sub vexillo castitatis merentibus.

Ludouicus proles Regum, specie corporis pulcherrimus, animo pulchrior, nunquam in verba non pudica laxasse linguam deprehensus est; colloquia non honesta ita horruit, vt fama inter aulicos esset, cauendum esse eo audiente, ne proferrentur, quia sine increpatione, ac stomacho non excipiebantur. Oculorum tam seuerus custos, vt in nullam vnquam fœminarum etiam affinium coniecerit, cum nulla, matre, & sororibus exceptis, licet honestissima, remotis arbitris locu-

tum

ſum Io. XXII. Pont. M. in diplomate canonizationis, teſtatum reliquit, Ne matris quidem pientiſſimæ exoſculari volentis, labra admoueri paſſus eſt ori ſuo, & opponenti repulſæ maternitatem, per quam licerent, decerentque natorum oſcula, reponit, Ita eſt, atque vt parentem amo, veneror que; ſed mulier tamen eſt Maieſtas veſtra, & baſia muliebria Dei ſeruis interdicta ſunt. Experta anteà erat auſteritatem perſimilem Regina Franciæ conſobrina ipſius, cui ſimilia Vrbanitatis officia de more gentis tentanti, non indulſit, ſed ſuccenſenti affinis, oſculo labia, vultumq; ſubduxit; & norat profectò honeſtiſſimum illud eſſe, & prorſus indecori vacuum; ſed inciuilis videri maluit, quàm delicatus, ſi tamen hoc eſt delicatum eſſe ibi culpam timere, vbi culpa non eſt. Certè doctrinam hanc non ab aula, non ab aulicis, non à moderatoribus, ſed à Cœlo, & Cœlitibus hauſit, & adoleſcentes docuit quàm cautos, imò & quam ſeueros cuſtodes eſſe oporteat, ſi mollem caſtitatis roſam illæſã velint. In hoc quod ſubijcio plures, opinor, habebit admiratores, quàm imitatores.

Diuina lux cuius eſt mentes hominum illuſtrare, & corda ſuccendere amore æternorum; oſtenderat illi mundi vanitatem, ac vitij fœditatem, virtutis, gratiæ cœleſtis, Virginitatis pulchritudinem, ſplendorem, præmia, ad hancq; amplectendam vehementer impellens eò prouexerat, vt ſæculo valedicere, & religioſum S. Franciſci Ordinem ingre-

di

di omnino constituerit, & voto deuinxerit, siue illud graui pressus infirmitate, siue incolumis in orationis ardore emiserit, à Deo immissam cogitationem exitus comprobauit. Voluisset statim post liberationem à captiuitate anno 1295. in octobri executioni mandare; sed ne faceret obstitere Patres Ordinis Moderatores cauti Regem parentem offendere; vt verò aliquando rescinderet suadebant proceres, amici, consanguinei ijs argumentis, quibus vti consueuere, qui terrena sapiunt, & deliberationes istiusmodi deliramenta ducũt, illo in primis, quód ex amplissimo Regno, & Campo bonorum, ac illustrium benefactorum, quibus Rempublicam Christianam, & Regnum suum iuuare poterat, se ad angustias claustrorum arctaret, & sceptro in rudem saccum mutato, sibi vni, vel paucis admodum prodesset, quod improbarent prudentes omnes, & superi non probarent. Carolus quinimò parens pollicebatur Regnum ipsi cedere, si paratæ sibi sponsæ Reginæ nuptias non respueret: sed festucæ, ac nugę istæ ludus erant adolescenti in omnibus serio, ac diuinitus edocto; ille trabalis obex ineluctabilis, qui à Vaticano aderat. Etenim Mars filiæ Præsule functo, Bonifacius VIII. tum Ecclesiæ Catholicæ vniuersæ Præses, Ludouicum nostrum perinuitum, ac reluctantem pro imperio suffecit; nempè audita fama sanctitatis, ac religiosi propositi, cui exequendo à sacris ordinibus, quà Romæ, quà Neapoli susceptis, aditum fecerat, creare

Epi-

Episcopum nolentem potuit, qui volens Sacerdotio inauguratus ad tyrocinium Minoritarum iter meditabatur, & coactus est infulæ ceruices submittere, quas voluntariè diademati subtraxerat. Ast huic etiam nodo suus inuentus cuneus. Non ante Episcopi insignia induit, quàm obtenta à Pontifice facultate solemnia Religionis Franciscanæ emitteret vota, excipiente illa publicè in templo Aræ Cœli Fratre Ioanne à Muro Generali Ordinis Ministro; neque prius illum excepit Tolosa, tiara, & paludamento decorum, quàm viderit Roma, in humili Minorum habitu binos interCardinales per plateas suas ad summi Pontificis benedictionem prodeuntem. Obstupebat affluens turba, & collacrymabatur pre teneritudine ad spactaculum antehac non visum adolescentis modesti iuxtà, ac formosi, qui contempta ampla Regni hæreditate, paupertatem vouerat, & Regio vestitu cum vili habitu commutato pedester ad Vaticanum progredi gestiebat.

Hac publica suæ professionis testificatione mundo exhibita, non est cunctatus Tolosam versus itineri se dare, quo confecto sine pompa, & sine magno sumptu, exceptus est sicut Dei Angelus à populis sibi, ac posteritati plaudentibus, quod pro Antistite Regem Sanctum Ciuitas Tolosana habere meruisset. Quam inierit in Episcopatu vitæ rationem, quomodo Pastorale munus expleuerit, quomodo se erga proximos, erga seipsum gesserit, vt compendio absoluamus, cuncta non

lau-

laude solùm, sed admiratione plena sunt, quæ aucta in immensum est miraculis in vita, & morte patratis, inter quæ memorantur in diplomate Pontificio sex mortui ad vitam reuocati, quibus Chronographus Minorum addit decem alios non sine graui virorum fide dignissimorum testimonio, quibus prodigia illa innotuerant, Miraculis tam grandibus adiuncta excellens vitæ sanctitas Ioannem XXII. permouere, vt Principum, ac populorum supplicationibus annueret, & in Sanctorum Catalogum referret anno sui Pontificatus primo, salutis 1317. septimo idus Aprilis, ab obitu Diui 19. iuxta sententiam probabilem, quod annos vixerit 23. cum dimidio, in quo scriptores dissentiunt, vt apud relatos auctores videre licet, quos concordes tamen in eo habes, quod ardenti vitæ priuatæ in Monasterio degendæ, desiderio, Romanum iter aggressus, spe facultatis à Pontifice impetrandæ, repentina febri correptus in memorato Brincolæ Castro sistere coactus est vbi inualescente morbi vi nouit diuinitus voti se cōpotem effectum, vt nimirum & onere Episcopatus, & corporis sarcina liberaretur, & triduo ante designauit diem infirmitatis vltimum, & gloriæ æternæ primum. Ea die auidissimè aduentum sponsi præstolabatur, & quanquam nunquam imparatus obuiam illi exijsset, tamen sollicitiùs curauit se sacramentis, & precibus muniri, & in primis sacro pane pro viatico confortari. Ad eius conspectum collectis summo ardore spiri-

 riti-

ritibus, lectulo se eiecit, & humi prostratus pro ara extemporanea sui cubiculi, reuerenter adorauit, ac sumpsit. Inde gaudijs intimis delibutus inter gratiarum actiones, & suauissima cum Deo colloquia purissimam animam ipsi reddidit, Christo sequestre offerendam, cuius effigiem cruci suffixi ad vltimum vsque spiritum manu prætendere, & petere osculis non destitit.

Eodem temporis articulo vir pius, ac religiosus donis multis cœlestibns, & reuelationum in primis, eximiè cumulatus, vidit Angelorum coronam obeunti occurrentium, & hilariter psallentium. Ita fit cum ijs, qui sanctè, & castè Deo seruierint.

Plaudite hic Ludouici imitatores, & qui vias Agni impolluto calle calcatis. Ex ore functi pulcherrimus pullulasse flos conspctus est, rosam referens, & odorem afflans suauissimum. quid hic? nisi lingua Virginitatis laudatrix, ac testis? & perseuerant prodigia in Asturiæ principatu Diœcesis Ouetensis, vbi Sacerdote operante ad Sacellum Diuo dicatum, germinant flores pulchritudinis miræ, qui decerpti ab adstantibus adhibentur ad morborum curationem quàm frugiferè. Dum funus Brincola effertur Marsilíam, vt moriés testamento edixerat, delapsi cœlitus radij corpori ne insedere, an è corpore, veluti Sole prodiere? quod nihil terrenum præter suam molem habuit, totum Cœleste à Virginitate redditum est. In eadem profectione, vel supplicatione potius, valido ventorum flatu funalia

nalia extincta sunt ; Non tulit cœlum iniuriam ; statim mirabiliter rursus accendi perspexit turba comitãns,ac splendidè micare, quoad in templo fratrum Minorum Marsiliæ conditum in sepulchro est , quod Deus multis miraculis decorare pergebat , donec translatum est Valentiam anno 1417. iussu Petri Aragoniæ Regis victoris, & Valentiæ in templo Principe locatum , vbi hactenus fidelium concursu , ac veneratione colitur.




S·ANDREAS

D

In omni vita tua dilige Dominum, qui te fecit Eccl. 7.

Dilige Dominum Deum tuum toto, & plèno cordis affectu: Dilige tota rationis vigilātia, & circumspectione, dilige, & tota virtute, vt nec mori pro eius amore pertimescas. S. Berm. serm. 20. in Cant.



S.Gregorius Nazianzenus
Quanto sanctior est Ecclesia in his membris vbi Virgo est Corpore, et spiritu. S.Aug.

RVtilum scilicet Orientalis Ecclesiæ sydus, quod insolito splendore doctrinæ, ac sanctitatis orbem terrarum in sui traxit admirationem. Scripsere vitam eius veteres Græci, latiniq; è quibus hausisse testatur se Baronius, quæ congesit in compendio Greg. XIII. dedicato. Patria viro Nazianzum fuit, non adeo clari nominis vrbs, vt Arianis Sancto infensis obscuritatem obijciendi occasionem prębere potuerit. Parentes illi Gregorius, ac Nonna, à quibus antequam nasceretur Deo dicatus est. Mater siquidem Annæ quondam sterilis exemplo pollicita creatori est, si masculam prolem concederet, eius se obsequio, ac seruituti dicaturam. Exaudijt Deus orationem suæ famulæ, & per nocturnam quietem vultum nascituri pueri ostendit, ac nomen imponendum indicauit. Non potuit non esse fœlix partus, quem fœlicitas præuertit; nec educatio non optima, quæ educatores habuit patrem Nazianzenæ Ecclesiæ Præsidem, & matrem, quæ & à sanctis ipsa genitoribus pietatem hæreditariam ad mariti domum attulerat. Mater verò (ait idem Gregorius) iam olim, & ab ipsis proauis Deo consecrata, pietatem instar necessariæ cuiusdam hæreditatis, non ad seipsam tantummodo, sed ad liberos quoque deducens, ex sanctis primitijs verè sancta conspersio &c. liberi nempè fuere ipsemet, atque Cæsarius, cuius, veluti sancti mentio est

In Martyr. Maij 9.

Ora. in laud Cæsarij. f. 47

in Romano martyr. Febr.25. ſicut & Gorgoniæ ſororis 9. Decemb. & amborum laus vberrima in orationibus Gregorij.

Erat is puer raræ indolis, & adeo ad virtutem propenſæ, vt nihil præferret puerile præter ætatis mollitudinem, quæ facile ſe formari pateretur ad mores bonos, doctrinamq; annis puerilibus congruentẽ, & ad illorum incrementa ſuccreſcentem, tàm fœliciter, quàm ipſi met explicare licuit Apo-
pag.20.n.4. loget. 1. verſus finem. A iuuenili (inquit) ætate acceſſitus ſui, atque ad Deum à vulua ipſa proiectus, maternaque pollicitatione in munus oblatus. Ac poſtea periculis confirmatus ſum, ſimulque cupiditas creuit, & ratio concurrit, omnia ei, qui me in ſortem accepit. atque ſeruauit, dono dedi, opes, famam, nominiſque ſplendorem, bonam valetudinẽ, litteras, ipſas ex quibus dũtaxat hoc commodi tuli, vt eas aſpernarer, atque aliquid haberem, cui Chriſtum anteferrem.

Ac ſuauia mihi extiterunt oracula Dei non ſecus, ac fauus mellis: & prudentiam inuocaui, & ſapientiæ addixi vocem meam. Aliaque etiam hæc adiunxi, nempe iræ moderari, linguam frenare, oculum coercere; ventrem regere, gloriamque humi manentem calcare &c.

Et hæc quidem opera fuere gratiæ alumnum ſuum ad gloriæ faſtigium prouehentis; at quàm ſingulari amoris ſignificatione, ac prærogatiua ſupra vulgarem ſui communicationem illi ſe fauorabilem præſtiterit, operæ-
pre-

pretium fuerit, ac lectori iucuditatis, non alijs, quàm ciusdem referre verbis, ac testimonium omni exceptione maius huc transferre. De calamit. Animæ suæ fol. 811.

Puer eram, nec admodum puer, verum eá ætate, qua virtutum, ac vitiorum imagines in animo inscribuntur, mensque nondũ firmam, & solidam cogitationum formam habet, sed alienis primum institutis, ac moribus informatur. Et quidem parentes mei eam haud quaquam malis coloribus depingebant, nimirum ad optimum quodque me virtutis genus erudientes. Eximia enim illi, atque omnibus hominibus admirabili virtutis laude florebant, concordibusq; animis pietatem colebant, ac non minus morum integritate, quàm senectute, atque annis humanæ vitæ modum excedebant. Et mox.

Ac mihi in somnis aliquando huiusmodi quiddam videre visus sum, ex quo facile in Virginitatis amorem exarsi, Virgines duæ in propinquo stabant candidis vestibus indutæ. ambæ formosæ, atque eiusdem ætatis, ambæ incomptæ, atque inornatæ, ac proinde ornatæ. Ornatus enim contemptio mulieribus elegantiam decusque conciliat: non auro, non hyacintho collum earum decorabatur, non sericæ illis vestes, non tenui, ac molli lino septæ erant: non fuco iuduti oculi sublucebant, non quidquam eorum quæ libidinis ciendæ artifices in mulierum formis excogitarunt. Non flauæ comæ humeris diffusæ

cum

eum leniſſima aura colludebant. Quin potius egregię veſtes Zona ſubſtringebantur, ſeque ad talos vſque demittebant. Ad hæc velo, non modo caput, ſed genas quoque ipſas obtexerant, oculoſque in terram defixos tenebant. Quin vtrique non parum venuſtatis afferebat, oris verecundia, ruboreque tincta facies, quantum quidem trans earum veſtes mihi proſpicere licebat. Atque inſuper, vt roſa folliculis ſuis, ſic vtriuſque labra ſilentio premebantur. Quarũ ex aſpectu mira ſanè voluptate perfuſus ſum. Sic enim mihi perſuadebam eas humana cõditione multo maiores, atque auguſtiores eſſe. Hæ porrò quoniam me aſpectu ſui exhilaratum ſenſerunt, erga me quoque beneuolentia affici, meq; perinde, ac filium ſuum amplecti cæperunt. Percunctantique mihi quæ nam eſſent, & vndè veniſſent, altera Caſtitatem ſibi nomen eſſe dixit Altera Temperantiam, quæ Chriſto regi adſiſtentes cœleſtium Virginum pulchritudine delectarentur. Atque ad me conuerſę. Age inquiebât, fili, mentibus noſtris mentem tuam, & facibus facem iunge: Ita futurum eſt, vt exiguo quodam, ac ſingulari ſplendore præditum in cœlum feramus, ac iuxta immortalis Trinitatis fulgorem collocemus. Hac oratione habita per cœlum ferebantur, oculiſque ipſe volantes inſequebar, ſed hæ non niſi in ſomnis mihi conſpicuæ erant. Diu verò animus meus graui huiuſmodi, & præclaro noctis ſimulachro, candideq; Virginitatis imagine oble-

cta-

ctabatur. Ac mihi iam tum earum sermo in mente colligebatur, cùm virtutum, ac vitiorum cognitio hominibus verè, planèque imprimitur, ac mens cupiditati ducem se præbebat, nocturnæque visionis pulchritudo obscurior aliquanto cernebatur. Quemadmodum autem occulta quædam ignis scintilla stipulam aridam internè depascens statim collucet, flammaque exigua in magnum deinde incendium crescit; sic ego cùm nocturno viso incensus essem confestim amor splenduit, atque in omnium oculis emicuit, vtpote qui in intimis animi recessibus occultari iam non posset. Primum itaque cum his hominibus vitæ consuetudinem contraxi, qui matrimonij vincula fugerant, seque à mundi contagione abruperant; vt Christum Regem animi pennis sequantur; Hinc non sine magna gloria pedem efferentes. Hos ego singulari amore, ac toto pectore complectens spei cœlestis duces habebam. Ac pòstea graue matrimonij iugum à me submoui ad excelsam videlicet eorum, qui perpetua virginitate florent, classem, ordinemque aspirans cœlestes enim omnes naturæ cōiugij, perturbationumq; animi expertes viuunt. Deus primum, deinde Angeli prope eum stantes, qui primi puri Dei radijs penitus collustrati, mortalibus postea lucem suppeditant. At qui duplici natura, nempe ex anima, & corpore constant, ij carne cum imagine diuina pugnante, coniugium expetunt, atq; ad corporum sationem procliues sunt. Cœterum

Chri-

Christus præstantiorem partem ducens longè à carne eam remouit, & ab impostore mundo abstractam cum immortalibus mentibus, quæ à matrimonij vinculis liberæ sunt, adiunxit. Ergo amoris ego desiderijq; stimulis incitatus eò tendebam, nec vestigium in terra figere iam sustinebam Mihiq; idem accidebat, quod ijs, qui lactis, vel mellis dulcedinem quoquo modo degustarunt. Sic enim ipse quoque degustata chori illius suauitate, nullo iam modo adduci poteram, vt ad acerbum illum cibum, hoc est, pestiferũ animæ vitium, quod in hac vita nascitur, accederem. Non iam conuiuia, vt quæ iuuenili ætati curæ esse solent, non mollis vestis, non delicata coma, non turpium, atque obscænorum verborum inuenustus lepos, non petulantes risus, non inimici carnis æstus mihi arridebant. Quin etiam scopulos, & montes. & hinnientes equos, & canum venaticorum greges alijs missos feci, excussaque omni huius vitæ beatitudine, temperantiæ, ac frugalitati collum subieci. Quæ quidem mei curam gerebat, me amabat, me ad amplissimam gloriam prouehebat, me denique in Christi manibus accuratè collocabat: illud in primis, quod mare Parthenium ingressum, vt Athenas nauigaret coorta sæua tempestas nauem Reginam cum vectoribus demergebat, ni precibus suis, ac absentium parentum ad portum incolumis appulisset illi quippe per quietem videre filium in eo periculo Dæmoni imperitantem, ac comprimentem.

Eo-

Eorum vnus, & sanè præcipuus, quorum se familiaritati delectatum testatur, Basilius Magnus fuit, alterum Orientis iubar: qui cõtemptis mundi oblectamentis, & carnis illecebris totum se Christi seruituti addixit, & in sublimioris Philosophiæ studia abdidit, ac ad miraculum in ea profecit Cũ ipso fuit deuinctus amore adeo tenero, atque constanti, vt vna vtrique anima videretur duo corpora ferens, vti ipse loquitur oratione in laudem Basilij, in qua plura de fructu, ac iucunditate amicitiæ istius sanctæ profert in lucem, quæ si reticuisset, tenebris damnata, alioqui digna æternæ lucis, posteritati incognita perpetuo fuissent. fol. 172.

Aequalitas conditionis, ætatis, propensionis ad virtutem, studiorum similitudo, & communicatio copulauit adolescentes Athenis discendi causa commorantes: Ponti solitudo, & conuictus planè angelicus, cœlestis sapientiæ opibus oppido diuites altissima paupertas aluit, diuinus amor ad præclarissima facinora præparauit. Ambos, inquit, eorum æmulator Baronius; à frequentia & conturbatione hominum subduxit diuinus spiritus, atque in desertum locum impulit, & in Pontica solitudine, velut in pharetra sua sagittas electas abscondit, vt opportuno tempore educeret ad faciendam vindictam in nationibus. & increpationes in populis, quarum altera fulguris instar, sic iaculatus est celsam turrim, mentem magnam, superbiam ipsam, atque fastum Imperatoris Apostatæ ad annum 363. t. 4. f. 146

ex-

extollentem se aduersus scientiam Dei, vt ignominiose illa prostratus, conuersus sit in fabulam, & opprobrium, expositus omnium derisionibus, atque sibilis: alteram vero maiorem stragem idem diuinus spiritus aduersus hæreticos paraturus exacuit &c. Porro qua ratione exacuenti spiritui parandos se exhibuerint, ab eodem Nazianzeno Epistolio ad
fol.703. Basilium dato audire præstat. Quæ prius, inquit, de Pontica commoratione scribebamus, ioco, non serio scribebamus; quæ autem nũc scribo, admodum serio scribo. Quis me eo statu rerum collocabit, quo pristino illo dierum mense eram, cum tecum incredibili voluptate affictarer (quandoquidem molestia sponte suscepta oblectationi minimè voluntariæ præferenda est) quis psalmodias illas, & peruigilia dabit, peregrequè ad Deum perorationem profectiones, atque illam velut materiæ, corporisq; expertem vitam? Quis fratrum eorum, qui, à te dij efficiebantur, atque in cœlum subuehebantur concordiam, animorumq; connexionem? quis virtutis certamen, mutuamq; prouocationem, quam scriptis legibus, ac regulis obfirmauimus? quis accuratum diuinorum oraculorum studium, lucemq; in ipsis ductu, atque auspicijs Spiritus sancti inuentam, aut, vt minora, & leuiora dicam, quis diurnas operum vices, & lapidicinas? quis arborum consitiones, & irrigationes? quis Platanum illam auream, & Xerxis Platano præstantiorem, in qua non rex mollis, & eneruatus sedebat,

ſed Monachus afflictus, & debilitatus? quam ego plantaui, Apollo rigauit, hoc eſt tua excellentia, Deus autem in honorem noſtri prouexit, vt ſeduli noſtri laboris monumentum, apud vos conſeruetur, quemadmodum virga illa Aaronis, quæ floruerat, in arca, ſeruata eſſe commemoratur, & creditur. Sed hæc optare quidem perfacile, cæterum conſequi nõ perindè facilè. & mox. Ipſe quidem te magis quàm aerem ſpiro, idq; ſolum viuo, quod tecum ſum, vel præſens, vel abſens per animi ſimulacra &c.

Tenuit autem hæc exercitatio contemplatione, & actioue mixta annos tredecim, quos ex Breuiarij Romani narratione in ſtudijs ſacrarum litterarum conſumpſere, illarum ſententiam non ex proprio ingenio, ſed ex maiorum ratione, & auctoritate interpretantes. Ex illo Eremi veluti modio eductum in candelabro Eccleſiæ perinuitum poſuere Præſules, quos hæc tangebat cura, & honos. Et primum quidem Saſimorum Eccleſię præfecerunt. Tum ad Nazianzenam; denique ad Conſtantinopolitanam euexere, cui ſpõte deinde ceſſit, vt ſeditionem inter Epiſcopos ortam ſedaret; quod luculentum fuit humilitatis, & caritatis exemplum quo toleratos in exacta vita labores, & præclariſſima facinora decorauit. Maij 19.

Quæ verò in hac rerum, ac dignitatum viciſſitudine contigere, quam ſtrenuè graſſanti hæreſi Arianæ obſtiterit; quàm promptè, intrepideq; exorienti Macedonianæ vigilantia præ-

prædicatione, ſcriptione frænũ iniecerit,quã ſollicitè commiſſos ſibi populorum greges à vitiorum labe purgare ſategerit, & ſubinde ipſe in ſuis teſtatur libris, & vberiori ſtylo prodidere, qui munus ſcribendi vitam eius ſibi ſũpſereNobis ea attingere ſat erit,quæ affiniora caſtimoniæ ſunt, & eius amorem Lectoris animo ingenerare queunt. Illud non prætermiſerim, quod iuuenes præſertim ſapientiæ ſtudioſos afficiet erga Diuum de Rep. litteraria benemeritum: cum enim impius Iulianus vſum elegantium librorum Ethnico rum Magiſtrorum Chriſtianis interdixiſſet, ne pueris, ac adoleſcentibus facultas vlla reliqua ſupereſſet liberalibus diſciplinis animos excolendi,perniciosam legem frugifero labore eluſit, & à rerum altiſſimarum commentatione ſtylum demiſit ad amœnam tragediarum, & comædiarum ſcriptionem: & heroicis, ac Iambicis,alijſque generibus verſuum elegantiſſimorum, conueſtitam poeſim produxit in ſcænam, tanquàm matronam feſtis ornatam diebus, eò grauiorem ethnica, quòd fabulis & inanibus fictionibus carens, ſententijs è ſacra, & morali philoſophia deſumptis conſtaret, iuuaretque legentis animum, & dictionis melle pelliceret adlegendum. Eodem aluberrimæ medicinæ antidotũ occursũ veneno àpeſtiferis poematũ Apollonij riuis manante in pectora malè cauta, & hæreſim inſtillante Macedonianam admouenti labra, ac dulcedine carminis trahi,decipiq: ſe patienti: oppoſuit enim Gregorius non minus iucunda, &

& verò longè præstabiliora poemata, quę palam exposuisse fuit, idem quod detraxisse è manibus iuuentutis librum hæretici fascinamenta; & virus propinantis, & eorum vice aperuisse catholici auctoris codicem salutem, vitamque afferentem: & visa est diuina prouidentia parare voluisse præuisis ante malis, & Ecclesiæ calamitatibus remedium, ac solamẽ ab hoc sole profecturum. Quippe præter ingenij acumen singulare, & ad omnes disciplinas capessendas idoneum ipsi collatum, cupiditatem, ac facilitatem discendi indidit; & opportunitatem, quę didicerat publice docendi fecit. Siquidem emenso studiorum cursu publicus lector Athenis electus est. Inde scribendis libris totum se impendit.

Horum, & aliorum librorum quibus sæculum suum illustrauit indicem, retexit S. Hieron. & meritò effert; quippe constat non modo optimi Rhetoris, oratoris, ac Poetæ partes explesse; sed & litterarum sacrarum interpretem egisse, ac Theologiæ profunda adeo fœliciter penetrasse, explanasseq; vt cognomento Theologus audiret, quod nulli alteri, nisi D. Io. Euangelistæ contigisse proditũ memoriæ ætas illa cognouerat: vt meritò proinde à S. Basil. vocetur organum benedictum (per quod scilicet Sanctus Spiritus diuinas resonabat, laudes) puteus profundus (in quo cœlestes sensus, & arcanorum mysteriorum notitia latebant) os Chrsti, quia per illud Patris Verbum sapientiam eructabat. Inter quæ ornamenta, & veluti stellas animati cę-

L. de script., Ecclesi. fin. vbi se discipulum illius fuisse gloriatur.

fol. 141

li splendoris radios eiaculabatur super cœleste sydus Virginitatis, cuius adhuc pueri in præcordia instillauere amorē Diuæ illæ binæ, quæ se quiescenti visendas obiecere, vti supra memorauimus; & cuius florē illibatū à se seruatum testatur ipse, vbi de seipso, Corpore inquiens, Virgo sum, an autem etiam animo haud certo scio. Quòd non alio sensu intellige, quam quo dictum à sapiente est haud fas esse mortalium vlli gloriari mundum, castumque habere cor; siquidem, neq; cæli, neque stellæ mundæ in conspectu altissimi: cæterum ab omni carnis inquinamento immunem seruasse animum argumento est impressū illi à teneris vnguiculis diuinitus castitatis desideriū, & instituta à pueritia sāctissimè vita, vt innuisse in decursu narrationis istius licuit, & repetere pro coronide libet, quòd magnum momētum habeat ad imitationem apud eos, quos partheniæ festiuitatis candidatos esse delectat. Tales enim Virginitas amat, & ab ijs amatur, qui carnem domant, qui post concupiscentias non eunt, qui armis ieiunij, & orationis se muniunt, qui a lectione sacra lucem consilij, & robur ad certandū aduersus hostes spiritales acquirunt, vti se fatetur hausisse Gregorius verbis hisce. Fuit quōdam illud tempus, cum inter iuuenes, & æquales meos nullus mihi robore par erat; ac me Christus, & fide adamante ipso duriore præditum, & validissimis armis vndiq; septū, atq; munitum aduersus hostem in certamen educebat. Et quidem ego diuinis oraculis euol-

fol. 872.

De silentio in ieiun.

euoluendis mentis puritatem collegi,ex sacris nimirum litteris spiritum exprimens:quarum lectio hoc mihi præstitit, vt amaram profanorum librorum, qui antea fucata, & nonnisi fictis coloribus inducta, pulchritudine animum meum demulcebant, salsuginem expuerem. Ad hæc carnem meam ætatis flore lasciuientem, & æstuantem multis, & crebris laboribus attriui. Ventris satietatem, vicinamq; rabiem sustuli; oculos temperantiæ adiumento palpebris infixi, iram absumpsi, membra deuinxi, risum deploraui. Omnia Christo cesserunt, priora omnia conciderunt; Terra mihi lectus fuit: asperrima vestis membra contexit, peruigilias etiam, & lacrymarum imbres adhibui, iuterdiu labori humeros subiunxi, hymnis tota nocte concinendis corpus instar statuæ defixi,nullam omnino humanam voluptatem,ne in animum quidem, & cogitationem admittens. Atque hoc mihi quondam vitæ institutum erat: caro quippe feruebat, cuius cura omnis in hoc versatur, vt hominem cœlesti ascensu prohibeat. Quin etiam grauẽ diuitiarum molem abieci, vt onere omni excusso,leuis ad Deũ ferar &c. fol. 35.

Atque hæc quidem (memorata videlicet supra) Christi beneficio mihi contigerunt. Quid autem postea accidit? calamitatum fluctibus æstuaui, non modo ab hæreticis, sed etiam à Coepiscopis excitatis, quos cedendo non resistendo sedaui, vt Ecclesiæ Constantinopolitanæ paci consulerẽ rapidissimis manibus præda fui (nam & lapidibus à pseu

do Monachis inter verenda sacrificia appetitus (corporis morbis oppressus sum) inter quos reponit ipsemet podagram. Cum pastoribus minimè amicis commercium habui) quales fuere Episcopi sibi in Cõstãtinopolitano conuentu aduersantes, & singulariter Maximus Aegyptius, qui baptismo, & sacris ordinibus, ab ipso initiatus, insuper commensalis, & minister effectus; subdola machinatione benefactorem suum de sede exturbare, & ipsi suffici tẽtauit, & exturbauerat, ni Theodosius Imper. impiæ machinationi obstitisset. Pergit ipse suas narrare calamitates, quarum illa quòd filijs orbatus fuerat, ansam dedit aliquibus de filijs carnalibus interpretandi, cum de spiritualibus accipere cogant testimonia de sua Virginitate à se prolata, & ab alijs gestorum vitæ eius narratoribus, quorum vnus consensus est eum à nuptijs alienum semper fuisse, & à puero purissimum cor sapientiæ despondisse.

Epist. 57.

Baron. ad ann. 389

Itaque post varías sæculi iactationes, ac tempestates nihil habuit antiquíus quam vt Cappadociæ Aranzum paterna hæreditate ad se deuolutum repeteret, ibique, Deo, Musis, & seipso frueretur, quod sibi per triennium concessum est, quo exacto consortio beatorũ dignus placidissimè diem clausit extremum, & æternitatem carentem fine inchoauit in patria, ad quam plenis votis diù aspirauerat ætatis ann. 95. vt nonnullis placet, vel 65. vt alijs, quibus Baronius adstipulatur.

An. 379. Eius imago venerationi in templo fuit exposi-

posita;& miracula multa ibidē in secuta;inter quæ illud memorandū,quod cū Constantinus filius Leonis Armeni,iussu Michaelis Balbi Imper. exsectus vocem amisisset, magna fiducia opem eius implorauit, & prouolutus in genua ante imaginem illam diu orasset,simul surrexit,simul vocem recuperauit, & linguam in gratiarū actionē,ac Dei laudationē resoluit. Cedren.in Michaele Balbo Baron. ad ann. 389. & 823.

Narrant honores superstiti, ac vita functo ab Oriente toto illi exhibitos, præsertim ab Imperatore Theodosio Ecclesiasticę scriptores historiæ, sed nescias an vllus illi æquandus quo Gregorius XIII. Pontifex Maximus memoriam Græci Antistitis apud Latinos extare perennem voluit, ac gloriosam. Quippe veneranda illius ossa Constantinopoli à monialibus S. Basilij barbarorum vrbem occupantiū impetum, furoremq; fugitantibus Romam translata, & diù in D. Mariæ Campi Martij asseruata, idem Pontifex in sacellum magnificentissimè à se extructum transferenda mandauit: quæ translatio peracta est tanta pompa, ac solemnitate, vt speciem præseferret veterum triumphorum; diuinitate verò pignorum quæ gestabantur, absq; comparatione superaret. Ibi frequenti fidelium concursu colitur, & Basilicæ Vaticanæ cœlo duntaxat magnificentia cedenti decus auget corpus sacerrimum; animus inter Gregorios cœlestes fulgens pro abolendo schismate Oriētalium Numen supremū apprecatur,& exauditū iri pacis amatores Catholici speramus. Baron. ad not. Martyr. Iun. 11. & 9. Maij.


S. IACOBVS.MAIOR.

D

In fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me Galat. 2.

Disce ò Christiane à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter ne illecti: prudenter ne decepti: Fortiter ne oppressi ab amore Domini auertamur. Ne mundi gloria, seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi sapientia Christus. Ne seducaris, spiritu mendacij, & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. S. Bern. serm. 20. in Cant.



Iacobus S.R.E.Cardin.Archiep. Vlyssip.
Virginitas ab initio palmam principatus accepit. S Chrysost.

Iacobus S. R. E. Cardinalis Archiep. Vlyßiponen.

LAudabunt alij quod laudauere ſcriptores celebres clarum genus Luſitanorum Principum à ſplendore nobilitatis, à rerum geſtarum gloria, à potentia armorum, ab amplitudine populorum: Mihi vero inter vetera, nouaque decora ſplendidiora fœlicitas obijcitur, qua meruere Eccleſiæ catholicæ ſuppeditare nomina ad ſacros faſtos augendos idonea, & purpurato eius Senatui prouidere viros, qui acceptum à purpura honorem virtutum heroicarum fulgore illuſtrarent. Collige te calame, & ad vnum de pluribus attende qui iuuētę florem præcidi à mortis falce maluit, quàm Lilium Virginitatis à Cupidinis ſagittis vulnerari. In vita Pontif. ſub Caliſto III Boz. infra.

Iacobus hic eſt Ducis Bragantiæ natus, Eduardi Regis Luſitaniæ nepos, qui in aula paterna pueritiam, ac adoleſcentiam litterarum, ac pietatis ſtudio tam diligēter excoluit, vt eam purpura dignam reddiderit, quæ ambire ambientià ſe decora regia haud dedignatur. Decoratus illa eſt à Calliſto III. Sum. Pontif. & cum ea titulus delatus S. Mariæ in Porticu, quo delectatus vehementer eſt, tanquam boni ominis clientelæ ſanctiſſimę Reginæ in ſe tuendo. Incredibile dictu eſt quātopere probata ſit à chriſtianis Principibus, atqne adeo à Purpuratis patribus inauguratio hæc, & quam magnam ſpem fructus in Eccleſiam emanaturi excitauerit. Ea propter

liceſ

licet ætate iunior, Episcopus Vlyssiponensis creatus est, quòd morum grauitate, prudentia, integritate, sapientia canos diceretur habere sensus senioribus Præsulibus æquandos; ipse verò nobilitate, educatione, regali indole, nulli posthabendus. Longum esset per omnes virtutum partes excurrere, quibus Lusitaniam primum, vbi natus, & altus est; dein Italiam, per quam peregrinatus moras traxit, in sui admirationem rapuit: Vnum est, in quo paucos habuit similes, nisi quà adsimilatus ijs, quos Virginitas ad nostrã, hoc est suam festiuitatem aduocauit. Agebat annum quintum supra vigesimum, quo tempore in iuuentæ flore medullarum calor irruit, & libidinum incendia bulliunt, vt loquitur S. Hieron, & ipse rigidus castitatis amator in morbum incidit qui per consuetas periodos adeo se intendit, vt superatis medicamentis quæsitissimis, pudorem arti, desperationem medicis, tristitiam domesticis crearit. vnicũ superesse dicebatur remediũ nõ à vulgaribus pharmacopæis petendũ, sed à reconditis Cypridis apothecis sperandum, si iuuari se hoc præsidio purissimus iuuenis pateretur: Vt insinuatum hoc à medicantibus est, & à familiarium non nemine audenter propositum, inhorruit primum, & expauit ad consilij fœditatem; tum resumpto spiritu. Ego ne, inquit, propter modicam vitæ corruptibilis vsuram, quæ nobis cum formicis communis est, illibatum hactenus florem castimoniæ inquinabo? Apage remedium

Epist. 22. ad Eust.

exe-

execrandum : Auertat Deus à seruo sanctissimæ suæ parentis grande piaculum: Pereat corpus tandem aliquando periturum, & tabo absumendum; integra maneat pudicitiæ gemma, e vase fictili in cœlestes thesauros transferenda. Ita statuit, & à proposito dimoueri non potuit eligens potius mori, quam fœdari. Cura ipsi sollicitior, de munimine Sacramentorum, quam de salutis corporeæ remedijs, & iucundior de cœlestibus cogitatio, quàm de vitæ incolumitate, cui tandem concessit omnibus officijs perfunctus, quæ ex ritu Ecclesiæ migraturis exhibetur. Ad meliores abijt relicto posteritati pudicitiæ exemplo quod admirari queat, ac imitari iuuentus ingenua debeat.

Sepultus est Florentię vbi morbus morsq; occupauerat, ac in templo S. Miniati honorificè sepultus, hodieque sepulchrum hoc epitaphio ornatum visitur; cuius primum carmen licentiam ne indicet auctoris, poetæ iudicet.

Regia stirps, Iacobus nomen, lusitana propago
Insignis forma, summa pudicitia:
Cardineus titulus, morum nitor, optima vita
Ista fuere mihi, Mors iuuenem rapuit.

Quod autem ait, Regia stirps, non sic intelligendum, quasi Regis Lusitaniæ filius fuerit sed Regij sanguinis; & ita nepos dicitur a

Scriptoribus vitarum Pontificum, & Cardinalium apud Giacconum in Callisto III. & Harimber. in Callisto item III. licet à nonnullis appelletur filius Regis Lusitaniæ; nemo enim Lusitaniæ Regum qui anno vllo sæculo quandringétesimi supra millesimum, quo vixit Iacobus noster, & mortuus est numeratur, qui filium genuerit Iacobum nomine.

Thom. Bozio de sign. Ecc. l. 11. sig. 48. c. 6.



E

Panem de cœlo præſtitiſti illis Sap. 16.

Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo: omnibus tamen dominicis diebus ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine peccandi voluntate ſit S. Aug. l. de Eccleſ. dogm.



ROBERT· BELLARM· S·R·E·C·
Candida uita est carnis incorruptio, et flos virginitatis
S. Gregor.

Cardinalis Bellarminus.

CArdinali Bellarmino Sacerdotum gemma adhuc priuato familiariter vsus sum in Collegio Romano vbi adolescens Philosophiæ operam nauabam, & ipse scribendis libris horas à Pontificio Clementis VIII. obsequio liberas impendebat: contigit deinceps mihi post annos aliquot cum eodem iam purpura decorato agere, ac semper ab eo discedere cum voluptate mixta admirationi, quòd in eius verbis, vultu, gestis altius quid humanitate nostra suspicerē: nec diiudicare quid nam illud esset satis apertè valerem, quoad eo functo incidi in libellos typis donatos, quibus Cardinales plures super eius virtutibus ampla locuti, id singulariter clarè enucleabant, quod ego in nube præceperam, neque repræsentare ad viuum poteram: coniectabam tamen radium illū esse purissimi pectoris, qui se se per rimas sensuum etiam cœcutientibus proderet, Euasit deinceps in scientiam, certamque notitiam coniectura pristina, quando ex eiusdem testimonio confirmatum inaudi, quòd nunquam vel semel in vita sua etiam pucrili mentitum se meminerat, namq; tam alienus à mendacio, ac inanis gloriæ leuitate erat, quam sunt reliqui mortales ad ea propensi vitia, ni labis primigeniæ radici cœlitus medela adhibeatur. & profectò ne vanitate coargui eius dicta possent, videri voluit summa veritas ad loquendum de rebus proprijs impellere, quæ

vir humilitatis christianæ amator, & cultor egregius, silentio amabat inuoluere. Id cum alias haud semel accidit; tum verò cum Archiepiscopum Capuæ ageret, & in peruigilio Sancti Gregorij Papæ ad habendam exhortationem Seminarij alumnis à Ioanne Antonio Cangiano Sacerdote eorum Rectore inuitatus libenter annuit, & initium concioni fecit à similitudine, quæ sibi cum Sancto Pontifice intercedebat, vt ostenderet gratam sibi occasionem oblatã de laudibus eius disserendi. Porrò similem se dicebat in vitæ genere, ac instituto, quod quemadmodum ille monachus, ac religiosus fuerat; ita & ipse adstrictam votis vitam annos haud paucos in Societate exegisset. Ille à claustro eductus, & in Senatum Purpuratorum adlectus; se pariter è Collegio Rom. euocatum ad aulã Pontificiam, & ad idem fastigiũ perinuitum licèt, euectum: Illum scribendis ad Ecclesiæ vtilitatem voluminibus insudasse, eique cœlestis doctrinæ pabula in longum prouidisse; se item ad eius defensionem contra hæreticam prauitatem plusculum studij, ac laboris in controuersijs concinnandis posuisse. Denique Sanctum Gregorium Virginitatem à cunis ad tumulum detulisse illibatam, ac floridam, se quoque virginem esse, qualis de matris vtero in lucem prodierat. Quæ dum candidè simpliciterque effabatur, loci moderator vir grauis, & prudens pudefactus, vultum rubore obduxit, & oculos pauimento defixit, quibus paulò post erectis, conspicatus est faciem

ciem, frontemque dicentis tanquam ſolem ſplendentem, cuius lucem non ferens adducta tantiſper palma vultum obtexit, eaque paulò poſt reducta perduraſſe.vidit eum ſplendoré tanta mora,quanta ſatis erat ad abolendam omnem vani ſpectri ſuſpicionem, & fidem teſtimonio afferendam, quod ſolus Cardinalis de ſe ipſo dare potuit, atque ab eo dari Deus largitor caſtitatis voluit: & oſtentum quidem confeſſario concreditum Io: Antonius de illius conſilio, taciturnitate texit, quoad ſuperſtes inter mortales Bellarminus vixit, vbi verò ad immortales migrauit, iure iurando euentus ſeriem denarrauit ſponte, libenſque cum de vita & geſtis illius diſquiſitio fieret tabulis procurandæ apotheoſis inſerenda. Verum ſuperuacanea iam tum erat omnis occultandi cura, prudentiæ velata nomine, quod publicæ notitiæ fama diuini miniſtra beneplacíti faciebat; ſiquidem dicenti ad popolum Capuanum de ſuggeſtu in templo principe aliquoties; frons, caputque irradiabant illuſtrius,quàm vt negari poſſet etiã ab ijs, qui graui ſupercilio inuſitata iſtiuſmodi metientes, anilibus deputant fabulis, ſi audiant interdum narrantes; ludibria cenſent ſi oculis percipiant:certè inter talia non repoſuere haud ſemel conſpectos in vultu Bellarmini radios; ſed frequenter, & quidem vſque à diebus iuuentutis,cuius partem docendo & concionando conſumpſit in Belgio, vbi teſtium decades reliquit afferentium viſam à ſe flammam capiti concionantis adlaben-

tem, & modico illapsu totam splendorem affundentem. Meruit omni tempore Collegium Romanum velut hortus Virginis Deiparæ alere irriguo satu lilia candoris eximij, sed fortunatum in primis fuit illi triennium, quo Bellarminum cultorem habuit, ac Rectorem, Gonzagam Aloysiium alumnum, & excultum cum alijs quorum nomina erant in libro vitæ, & nunc animæ sunt in cœlo. Hos amabat Bellarminus, vt pater; sed Gonzagam, cuius regebat conscientiam, & sentiebat fragrantiam castitatis, tenero complectebatur affectu veluti materno, & tacitè venerabatur vt Angelũ sub humanis artubus latitantẽ aberat autẽ ab errandi periculo in iudicando, quia liber fuit in omni vita ab affectionum pondere, quę plerumque iudicium inuertunt, aut à recto tramite rationis detorquent; & insigniter æquitas hæc, & rectitudo iustitiæ comes, & gratiæ proles enituit in magistratu, quem totum ratio purgata vitijs, & diuinæ gloriæ amor sibi vendicarunt.

Quis verò dignè efferat, aut recenseat virtutes alias, quę Virginitatem Bellarmini decorabant, & inuicem ab ipsa decorabantur? Habuere & ipsæ laudatores suos, sed qui eas experti sumus & oculis nostris aspeximus, quę illi scriptis prodidere imparia esse factis celsioribus iudicamus; neque totum Bellarminum illis exprimi, sed adumbrari. Vt enim qui solem nunquam aspexisset, vel luminibus captus, vel obscuro loco detentus cui nec radius vnquam illuxerit, pulchritu-

di-

dinem, ac splendorem eius ex aliena relatione non caperet mente, qualem oculorum repræsentaret intuitus, Ita qui cum Bellarmino versati non sunt, neç cum audiuere loquentem, aut facientem vnquam videre, assequi legendo nequeunt virtutum præstantiã, quibus homini ornando natura,& gratia cõuenere. Mirabamur moderationẽ animi,ac mansuetudinem, humilitatem, orationis studium obedientiam, paupertatis amorem,patientiã, sobrietatem, sed in primis iunctam prudentię simplicitatem, cui nunquam mihi contigit simile quidpiam inter mortales experiri, vt proinde sæpenumero mente attentius illã contemplanti visum sit meritò de Bellarmino vsurpari posse,Non est inuentus similis illi,sanè quo vlterius candor animi, ac synceritas,quæ simplicitas est Euangelica, progrederetur. vix inuenient, qui monito Saluataris diligenter auscultant. Estote prudentes, sicut serpentes, simplices sicut columbæ. Quibus ornamentis omnibus à religiosa educatione Societatis comparatis, auctisque in dignitate Cardinalitia addidit alia quæ propria illius sunt, sed præcipuè liberalitatem, ac misericordiam in pauperes generis cuiuslibet, tum Romæ, vbi pluribus annis degens operam suam grauissimis variarum Congregationum patribus probauit; tum Capuæ vbi Archiepiscopum triennio egit, & veterum vrbis Præsulum sanctorum secula reuexisse passim acclamabatur; vtrobiq; egenorum præstitit patrem adeo profusè, vt in illos effundere omnia,

præter quæ ad honestam familiæ sustentationem necessaria erant; imo nec ijs quidem parcere nouerat, sed diuendi Oeconomo mãdabat; quod si quando deficiente pecunia mendicus, vel vidua, vel pupillus eleemosynam rogaret, atque exhausta erogationibus supellectili locus venditioni non superesset, mutuò alicubi quærebatur, vt egentium necessitati subueniretur.

Vsu aliquando venit vt Cardinalem in propinqua Collegio Romano domo habitantem negotij, & officij causa conuenerim: ille familiarem olim in priuata vita sibi notum humanissimè admissum in intimum conclaue duxit, & nihil immutata pristina facilitate, inter rerum multarum colloquia ita affatur. Pater, plerasque iconas eleganter è parietibus pendentes indigitans, videtur ne tibi ornatus hic, & copia imaginum Sanctæ paupertati dissentanea? Neganti in eo quidẽ gradu, ac statu videri: atqui, inquit, aperiam tibi candidè consilium meum. Mos apud Cardinales obtinuit, vt aulæis cubicula conuestiãt, & hic mihi haud semel ingeritur à familiariũ plerisque ad singularitatem vitandam, & dignitatis decus tuendum, quod decolorari hac nuditate dictitant; quibus ego elegantiùs vestiri parietes, ornarique decentius Sanctorum imaginibus, quàm sericis operimentis respõdere consueui, & amori paupertatis honestã excusationem obtendo, ne fatear nudorum corpora contegendo impendi, quod muris insensibilibus subtrahitur. Adde quod imagi-
nes

nes istæ donaria sunt eorum, qui causas apotheoseos virorum sanctitate insignium promouent, & meum patrocinium in earum procuratione deposcunt, gaudentq; vehemẽter quoties appensas ante meos oculos intuẽtur, tanquam æstimationis meæ argumentũ, ipsis gratissimum; in quo multum momenti est ad caritatem mutuo confouendam: Vt nihil interim dicam de affectu, quem excitari in meo corde sentio ex aspectu vultuum, & Sacrorum Mysteriorum, quæ pictores omni artificio expressere, vt pietatem coloribus exprimerent. Quis aulicorum aulæ præferens triplicem hunc funiculum soluisset paupertatis, caritatis, deuotionis nodis illigatum; Benè est,eadem mensura illi remetiuntur homines probi, ac Sancti,qua mensus est ipsis dum viueret; suam quippe imaginem in pinothecis,in aulis honoratis reponi amant Reges, ac Principes, velut herois Ecclesiæ Catholicæ propugnatoris Chrysostomis, Ambrosijs, Hieronymis comparandi, & spes, ac expectatio communis, non vulgi modo, sed & sapientiorum est fore aliquando, vt discussis legitimo iudiciorum tenore vitæ actis, & quæ adnotata sunt gratiarum donis superstiti adhuc in terris,& ad sanctiores translato cœlitus concessisse, colenda ad aras appendatur: quo sanè tempore inter lilia, & rosas, ceu congrua Virginitati Ieroglyphica, vernabit,imo inter sydera desuper splendentia fulgebit,nisi solẽ depingi æquius postularẽt sapientiæ, ac sanctimoniæ merita, quibus orbem

 ter-

terrarum, & plura in futurum sæcula collustrauit, vt meritò in ipsum cadat, quod de Sancto Basilio, S. Gregorius Nazianz. scriptum reliquit in hæc Verba.

Laudatur apud Dauidem solis pulchritudo, & magnitudo, & cursus, & pernicitas, & vis ac facultas; quippe qui sponsum nitore, gigantem magnitudine referat, ac longè, latèq; progrediendo tantam vim habet, vt ab extremis æquabiliter extrema collustret, nec locorum interuallis calor ipsius vllo modo minoratur; Basilio itidem (Bellarmino itidē) pro pulchritudine virtus fuit, pro magnitudine Theologia, pro cursu perpetua virtutis agitatio, continuisque incrementorum gradibus ad Deum ferens; pro viribus denique doctrinæ semen, ac distributio &c.

Rerũ præclarissimarũ seriē digestā habes apud vitę scriptores latinè Petrā Sãctā. Italicæ Iacobũ Fuligat. in ijs multa supra ordinariũ naturę cursũ, quæ superstiti, ac functo sanctitatis opinionē cōciliauere. Relata eorum plura sũt in legitimis tabulis publica auctoritate confectis. Mihi libasse libuit, quæ proximè Virginitatē attingũt, vt sicut gloriosa victorijs ab Imperatorib us, ac Principibus eius alũnis aduersus armatos hostes prodijt, ita triũphis clara prodeat à purpuratis Patribus contra perduelles Ecclesiæ hęreticos eius impugnatores.

Quis enim dubitet primæ magnitudinis, at lucis astrum singulari prouidentia numinis excitatum, vt suæ splendore sapientiæ tenebras dispelleret sectariorum, mendacia

de-

detegeret nouatorum, auitæ religionis ius, possessionemq; à turbatoribus tueretur. En quales suppetias militanti Ecclesiæ Iesu Socitas suppeditauit? suum videlicet filium, sua institutione, sua educatione, sua excultum disciplina, suis imbutum moribus, ideſt cœleſtibus: & rependit filius optimus parenti optimæ, vicem optimam, qualis à sublimi pietatis, à doctrinæ, à dignitatis culmine manare poteſt affluentior; vt nouit Mundus, defenſionem in perſecutionibus, & æmulorum criminationibus; vt teſtantur tribunalia, in quibus ita ſe amantem iuſtitiæ oſtentabat, vt innocentiam ſuæ matris, & intrepidè vbi opus erat, oſtenderet, & à calumnijs maleuolorum ſæpe ſæpius ſartã tectã præſtaret. Inſuper cõſolatione in cõſilijs dandis, in adhortationibus domeſticis ſubinde habendis plenis ſpiritu ſapiẽtiæ, & caritatis Adde humanitatem in officijs paterni amoris priuatim, publicèq; exhibẽdis, vt experti ſunt qui Romæ, vel inquilini, vel peregrini noſtri verſati ſunt cum eo viuente. Nec tacenda honoratio Sanctiſſimi Parentis, ac fundatoris Ignatij: cuius amplificandæ occaſionem omiſit nullam, & illam ſpontè, prompteq; arripuit, quæ cultui deinceps liberè, palàmq; dando initium fuit. Etenim anno 1599. pridie eius diei qua memoria obitus Diui recolitur, pro amore, ac pietate in ipſum, ſua quidem ſententia inter magnos Religionum Inſtitutores in cœlo collocatum, opportunũ duxit habere de eius laudibus ſermonem, &

anteuertit vota multorum, qui vehementer etiam atque etiam illum optabant, nec petere adhuc ausi fuerant. Vulgata rei fama conuenere vltra quingentos in templum Professorum, ibique à prandio audiuere Bellarminum de sella ad dextrum carnu maioris aræ posita loquentem de excellentia sanctitatis, ac virtutum, Ignatij tam piè, tamque magnificè, vt pleni stupore, & consolatione mutua testificatione diceret alter ad alterum non hominem; sed Angelum de Seraphino sermocinatum. Aderat & Cardinalis Baronius, illud nostri æui miraculũ, ne singulari in oratorem amori deesset, & audiret laudes eius, quem dilaudatum amplissimè, dilectumquè vnicè à suo Sancto Philippo Nerio non nesciebat. Hic secundum concionẽ diuino, vt creditum est, instinctu afferri ad se postulauit S. Ignatij Iconem; allatam conscensis ligneæ scalæ gradibus supra sepulchri proiecturam appendit; tum descendens flexis genibus vna cum Bellarmino aliquantulum ante illam orauit, & humum exosculati abiere benedicentes Dominum, qui nouum dedit hominibus Saluatoris exemplar. Hinc patefactus aditus cultui publico Sancti Ignatij, qui deinceps à summis Pontificibus probatus est, & à Deo confirmatus miraculorum multitudine, & granditate. Contigit mihi tum Philosophiæ cursum in Collegio Romano emetienti lætissimæ, ac pientissimæ scenæ interesse, & cœlestem audire sermonem, quem fideliter memoria compre-

pre-

prehensum ad verbum latinè versum mihimet descripsi, & hactenus inter libellos alios manuscriptos adseruo, veluti gemmam pretiosam fortè non alibi adseruatam. Erat autem thema sermonis, elegit eum Dominus, & ornauit eum, stolam gloriæ induit eum. Vnde argumenta ad ostendendā mirabilē Ignatij sanctitatē deprōpsit. Deniq; pignus amoris Bellarminus in suam parentem societatem tota vita seruati, extare voluit in morte, à qua non alibi occupari se sustinuit, quàm in eius sinu. 1. in domo probationis ad Quirinalē, nec alium hæredem, quàm ipsam instituere, idest professam domum, paupertinam pauper, ac iccirco paupertatis potius, ac virtutum quibus affluebat gloriæ, quàm diuitiarum, quas nullas fermè misericordia in egenos reliquas fecerat: sed instar opum, ac opulentæ hæreditatis eius venerandę sunt exuuiæ in sepulchro magnifico repositæ, quod ex marmore lapidibusque variegatis erectum voluit Odoardus Cardinalis Farnesius, vt sui in Bellarminum amoris perenne monumentum, cum alijs nominibus spectabile, tum hoc maximè quod opus sculpturæ est Equitis clarissimi Bernini alterius nostri sæculi Praxitelis, aut Phidiæ, aut vtriusque. Supposita est aurea Epigraphes breuis, ac simplex; an quia quicquid adderetur laudis prolixioris parum est, an quia solùm nominasse Robertum Card. Bellarminum nimium, quàm multum est?

ROBERTO

Cardinali Bellarmino Politiano
E Societate Iesu
Marcelli II. P. M. Sororis Filio
Odoardus Cardinalis Farnesius
Sui erga virum, quē Patris loco semper coluit
Amoris nunquam morituri
Monumentum posuit
Obdormiuit in Domino anno sal. MDCXXI
Aetatis suæ LXXIX.



Oculi

F

Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum 2. Paralip. 16.

Iuſtorum fortitudo eſt carnem vincere, proprijs voluptatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, huius vitæ aſpera pro æternis præmijs amare. S.Greg.lib.7.Moral.



B. Petrus á Luxemburg. S.R.E. Card.
Virginitas nubes, æra, ſydera, Angelos tranſcendens
Verbum Dei in ipſo ſinu patris inuenit. *S. Ambr.*

B. Petrus à Luxemburgo.

DEbetur huic quoque in parthenia festiuitate locus, cuius natales, infantiam, pueritiam, adolescentiam suis decorare insignibus natura, gratia fauor humanus certauere. Galli suum asserunt, Gallobelgæ suas in eo habere partes ambiunt, non negantibus Gallis; Parentes etenim habuit Guidonem Luxemburgicum Lignacij, & Roascij Comitem summum militiæ Gallicæ Præfectum, & Mechtildem, seu Mathildem Castillioneam, quæ comitatum S. Pauli in Picardia, & Fiennæ dominium pro dote attulit. Auos eius inter illos numerant Belgij, Galliæque annales, qui Cæsares Germaniæ, & Reges Boemiæ peperere. Porrò Gallobelgis communem esse adolescentis huius immensam laudem, cum ex eorundem relatione constat; tum verò Philippi cognomento Boni Burgundiæ, ac Brabantiæ Ducis testimonio, patribus Concilij Basiliensis innotuit, quibus supplices libellos dedit, vt apotheosim eius commendatam haberent, tanquam consanguinei sui, quem Deus vitæ sanctitate planè singulari, & miraculorum innumerabilium patratione, honore illo dignum ostenderet, sed postremum inter decora angelici iuuenis natalium splendor habendus, terrena isthæc sunt, & nihili pensi ab ipso habita, quem cœlum suis ornamentis insignire properauit. Puellum adhuc quinquennem Virginitas sibi mancipauit, & voto deuinxit ani-

De illo scriptores annal. Eccl. ad annum Christi 1381. quo obijt. Ciacconius tom. 1. in Clem. Antip. & erudius Victorel. numerãt plures, qui de eo scripsere.

ſtimulam ſtatim, ac radius exorientis rationis pulchritudinem ſuam oſtendit, & in amorem ſuum rapuit. Adiunxit ſe illico miſericordia in pauperes, quibus benefacere, quando aliter non poterat, pia ſurreptione dapũ domeſticarũ, induſtrius prouiſor ſubueniri ſatagebat. Et placere ſibi anxiam pueri ſollicitudinẽ prodigio declarare Numini ſummo aliquando libitum, cum deprehenſus à patre in fragranti commiſerationis furto, quod coopertum ad mendicum deferebat, interrogatus curioſius, quid ferat, reſpondit lepidiuſcule. Roſas: mãdãte patre reduxit extẽplò puerulus velum, & (ò prouidentiam) dimenſum illud exiguum in roſas vernantes conuerſum eſt, tam inoppoitunò roſis tempore, quàm opportuna miraculo caritate: arripuit parens obſtupefactus flores, atque vt cœleſte in ſuũ natum amoris pignus, gemmis pretioſius, apud ſe ſeruauit. Alias ne egenus opẽ flagitãs fruſtra ad ſe confugiſſe doleret, cum nihil aliud eſſet ad manum, à parente donatum annulum aureum detraxit è digito, & cautè, nè quis aduerteret, in manum rogantis iniecit. & erant quotidianæ largitiones iſtiuſmodi, quibus pueritia profuſis erogationibus adoleſcentiæ præludebat: cum enim mirificos in litteris humanioribus progreſſus feciſſet, miſſus eſt ad celebrem Academiam Pariſienſem, vt ad grauiorum diſciplinarum curſum aggrederetur. Id loci laxare licuit, ex paterno penſo ſuæ ſuſtentationi dedito, habenas liberalitati, & largas eleemoſynas in pauperes di-

ſtri-

ſtribuere.Cumque pietatis operibus ſingularis accederet in litteris profectus,modeſtia quoque aderat ætati congruens, prudentia ætatem ſuperans, ſtudium orandi, mortificatio animi, & corporis, frequens Sacramentorum vſus; vt ſi intra religioſa clauſtra fuiſſet educatus; vna erat vox ſapientum, ac vulgarium hominum ſub angelica corporis forma, qua oculi alliciebantur, cœlari mentem pulchriorem, quàm diuina inſideret, regeretque lux. Neque latere potuit Clementem Septimum Auenione Pſeudopapam agẽtem. publica commendatio, famaque nobilitatis, Sapientiæ, ac probitatis Petri; ideoq; decimum agentem annum pingui ſacerdotio ditatum inter canonicos Pariſienſes adſcribit: Biennio poſt Archidiaconu m Carnotenſem deſignat; mox Metenſem creat Epiſcopum, & non diu poſt quindennem purpura cardinalitia inſignit, ijs principibus plaudentibus, quibus à partibus eius in ſchiſmate ſtandum eſſe videbatur. Ad nullum verò dignitatum iſtarum gradum, niſi perinuitus trahi ſe paſſus eſt, cogente nimirum imperio eius, cui Gallia tota, Hiſpaniæ magna pars, & alij plerique principes tanquam legitimo Paſtori, vt ipſi quidem rebantur, obedientiam præſtabant, præſtandamque optimo adoleſcenti perſuaſerant. Aſcenderunt cum ipſo ad Cardinalitium verticem, quæ diu ſecum habitauerant Humilitas, Pœnitentia, Oratio, Miſericordia, cæteræq; virtutes, quæ virgineum pectus occupauerant.

Ete-

Etenim primum ad suum Episcopatum ingressum, quem magnifica pompa decorare plerique omnes Episcopi soliti erant, insolentē quidē ipse esse essevoluit,sed celeberrimū reddidit,& Cæsarū triumphis, inuidendum.Quippe reiectis curribus, equisque phaleratis, & toto sæculi calcato fastu, asello insidens Ciuitatem intrare non erubuit; & à Christi Hierosolymam ingredientis imitatione pastoralia munia auspicatus est.Quis putas fuit circumfusæ multitudinis sensus? quæ admiratio? qui clamores? ijdem planè qui & turbæ obuiam Saluatori euntis, & exclamantis, Benedictus qui venit in nomine Domini: tacentibus interim, neque præ stupore loqui valentibus ex nobilitate præcipuis, qui iudicio præpollebant, & miras,ac insolitas progressiones ab inusitato initio præuidebant. Neque verò falsi sua opinione sunt, nisi qua præstantium facinorum mox sequentium magnitudine superata est. Etenim quis in ipso adolescentiæ limine prudētiā tantā sperasset, quātā ostēdit in familiæ compositione, in Ecclesię, & diæcesis ad formam apostolicam restituēdæ quæsitissimo studio, ac diligentia; in negotiorum ad suum munus spectantium tractatione,dexteritate, solertiaque, & nihilo istis inferiore adeo profusa in egenos eleemosynarum largitione, vt arca exhausta post eius obitum asses dumtaxat viginti ex amplis reditibus inuenti sint? Verum quam liberalis, & humanus fuit in alios, tam parcus, ac seuerus in suum corpus dominatum exercuit: antiquam abstinē-
tiæ

tiæ consuetudinem à primis annis seruatæ, in ieiunia rigidiora vertit, vt suo arbitratu viuere licuit? quotidianam verberationem ex diro flagello adiunxit, atque ne vlla pars temporis vacua dolore, & cruciatu abiret, cilicijs setarum asperrimarum gestatione diuexabat; neque vt rigorem hunc vitæ indulgentia aliqua, aut sensus oblectatione temperaret, adduci poterat: sed eius vice orationis suauitate, & intima cum Deo familiaritate recreabat animum, & quicquid otij à publica administratione reliquum fecerat, diu, noctuque precationi dabat. Eius siquidem præclarum donum à pueritia vsque consecutus fuerat, quando Christus Dominus in cruce pendens aspectabili forma visendum se præbuit, & suæ suæq; passionis amorem tam altè cordi infixit, vt ius in corpus, dominiumq; concesserit: mirum proinde non fuit mirabilia ab ipso in vita præstita, & post mortem miracula patrare perrexisse multitudine tam frequentia, vt vltra quadraginta mortuos ad vitam eius intercessione reuocata perhibeantur. Quæ diligenter conquisita, & examine virorum sapientissimorum expensa in bina, ternaue volumina digesta sunt, quæ hodieq; in Cęlestinorũ Monachorũ cænobio Auenione dicuntur asseruari, in quibus sanè cũ diuinæ beneuolentiæ fauor luculenter enituit, tum veró effati sui veritatem Christo Domino declarare libuit, & stare promisso exaltationis ei, qui se humiliauerit. Iam verò qui in tota vita Humilitati operari summopere stu-

 duc-


duerat, eius morte specimen dedit sæculis omnibus memorandum. Inuasit illum febris laboribus fractū,&pœnitentiam ipsā in lectulo paupertino decūbentis, ac victorias in dies de morbo referentis inuenit: Exigua ipsi, aut nulla de corpore sollicitudo,& quod mirere, ingens potius etiam tum illud vexandi ardor, adeo vt moriturus flagris cædi à famulis optauerit, & quà prece, quà imperio obtinuerit. Testamentum condidit non quo hæredes consanguinei instituerentur, cum omnia bona pauperibus erogata essent; sed quo suas exuuias Paupertati, ac Humilitati intimis superstiti familiaribus relinqueret. Vltimæ suæ voluntatis esse declarauit, vt siue Parisios, siue Auenionem corpus deferretur, in communi pauperum cæmeterio sepeliretur; neque alia efferretur pompa, quàm rudi obtectum panno, & tribus cereis; quamquam amicorum rationibus, precibusque cedens, augeri ad duodecim permisit.

Inter hæc venienti domino occurrit lætus, & Sacramentis Ecclesiæ munitum spiritum in sinum eius emittit Nonis Iulij 1387. Fūnus paratum quale parari iusserat, & quamuis propinquis ægrè erat tanta demissio; religioni tamen ducebatur testamentarias tabulas inuertere, & magnificè pro familiæ,& dignitatis splendore sepelire.

Defertur igitur cadauer ad D. Michaelis ædem Auenione, in communi cæmeterio cōditur, tanquam de plebe quispiam, sanguis;

Im-

Imperatorum, & Regum. Verum enim verò qui humilia respicit in cœlo, & in terra, Deus non est passus sepulchrum istud inglorium manere; sed illicò reddere gloriosum cæpit miraculis tam multis, vt intra biennium vltra nongenta sint numerata. Propterea primates Antistites suarum partium duxerunt thesaurum absconditum effodere, & in marmorea arca conditum crate ferrea circummunire. Exinde Maria Regina Hierusalem vulgo dicta, ligneo operimento in tabernaculi formam circumdari curauit, quod pedetentim in sacelli elegantiam migrauit, templo ipsi, cuius est pars, inuidendi. In eo vt colatur tanquam Beatus Clemens VII. Verus Pontifex singulari diplomatè concessit, atque vt festi celebritas augeretur consules Auenionenses, ac Cælestini Monachi, nuncios cum libellis supplicibus ad Vrbanum VIII. Pont. Max. dimisere; qui facultatem peterent diem festum Diuo, ex Ecclesiastico ritu cum octaua celebrandi.




S. IOANNES



Fides sine operibus mortua est Iacob.2.

Mors fidei est separatio caritatis, credis in Christũ, fac opera Christi, vt viuat fides tua fidem tuam dilectio animet, probet actio, Non incuruet terrenum opus, quẽ fides cœlestium erigit. S. Bern. serm. 25. In Cant.



Robertus Nobilius S.R.E.Card.Diacon.

Sola Virginitas Dei nouit consilia. S.Hieron.

Robertus Nobilius S. R. Ecclesiæ Cardinalis.

ET hæc quoque Montis Politiani laus est eximia, quòd vno sæculo solum eius, flores, fructusque fudit Ecclesiæ Romanæ haud parcè, quorum singuli singula possent illustrare sæcula. Videre purpurati Patres centuriæ vnius spatio in suo Senatu splendere radios doctrinæ, prudentiæ, sanctitatis, Ricij, Taurisij, Bellamini, qualium Deus Immortalis, capitum: & eodem persensere fragrantiam honestissimorum Roberti Nobilij adolescentis sensuum canorum, quos ni nota esset Patria, de Cœlo delapsos diceremus; & quia nota est, æmulam cælo dicimus, & ne verbo adsit inuidia, dilectam Cœlo citra inuidiam appellare Cœlites concedunt. Quippe Cœlum dedit Sydus hoc ad splendorem Monti Politiano; hoc Romæ ad ornamentum cōmodauit; sed breui ad gaudia æterna repetēdum. Pater illi Vincentius Nobilius filius Ludouicæ de Montibus Sororis Iulij III. à quo summis Pręfecturis bellorum aliquoties admotus est, tanquam Eques prudentia, fortitudine, magnanimitate præstans, & illis honoribus apprime idoneus: Mater Magdalena de stirpę Comitum imperialium Montisacuti enixa illum est die quinta Septembris D. Vrbano Episcopo Mart. festa, ann. 1541. & in templo principe Montis Politiani vnda Sacra lustratus, ac Roberti nomine fuit insignitus.

In vit. Pont. t. 2. ad ann. 1513. sub Iul. III. referūtur multi qui scri pserede illo. vitam integram composuit Franc Maria Torrigius Rom.

Vbi aduertit genitor in puero penè adhuc infante ingenij scintillas quasdam magnæ olim lucis indices, iunctamq; ijs indolem ad virtutem propensam, non est cunctatus optimos illi præceptores quærere, à quibus bonis litteris, ac moribus informaretur. Eatenus sub illorum cura profecisse Roberto contigit, vt decennis linguæ latinæ, Græcæque peritiam sit indeptus. Quo tempore coram auunculo Pontifice orationem habere iussus, eam sibi opinionem, ac beneuolentiam elegantulus orator conciliauit, quæ tres post annos splendidè declarata est. Nimirum in Collegium Cardinalium tum adlectus est an. 1553 Decemb. 22. ad quod lex sanguinis, & agnationis admouebat; virtus, doctrina pietas, in illo ætatulæ flore gratior, pertrahebant. Eam ob causam adulari se minimè sunt arbitrati grauissimi quique ex eo Senatu patres; quibus solemnis fuit promotionis istiusmodi cōmendatio; quos inter Cardinalis Polus, vir in paucis memorandus, haud ignarus adolescentuli excellentiæ, ex magna spe, ac expectatione bonorum facinorum, quæ cœperat edere; non verebatur appellare Sacri Collegij decus, & exemplar Collegarum: & Cardinalis Rodulphus Carpensis alterum Senatus purpurati iubar, admiratus in præclaro adolescente grauitatem, prudentiam, sapientiam, natum dixit ad Romæ, & Vaticani mores suo exemplo, consilioque conformandos. Idem erat iudicium, & effatum Card. Valerij Veronēsis Epis. aliorumq; S. Caroli

roli in primis ; Qui vt veritati obsequerentur, virtuti thura adolebant laudationis. Ipse porrò factis pergebat probare se luadabiliorē. ſſe; quā verba laudatorum exprimerent ; hæc enim vernantes in vere adoleſcentiæ flores extollere ; illa maturos in iudicij, prudentiæque ſenilis fructus contemplantibus obijcere : vtraque adoleſcentem habere parem, aut nullum, aut rarum, vtraq; imitandum iunioribus, mirandum Senioribus commonſtrare.

Fons donorum omnium (quis ambigat) diuina fuit gratiā, quæ præuenit candidatum ſuum in benedictionibus dulcedinis, & ſupra iuuentæ, imò & humanitatis metas euexit alumnum ſuum ; ſed adiutores quoque voluit in opere perpoliendo magiſtros artis in ſua ſchola enutritos, & à ſe inſtructos. Horum vnus Ioannes Polancus fuit, hoc eſt vir omni diſciplinarum genere ornatus, & vitæ, morumque integritate eximius, tanti ab Ignatio factus, vt comitem in regenda Societate voluerit, in eo pretio ab Ignatij ſucceſſore Lainio habitus, vt à ſecretis adlegerit, & quod maius eſt in Tridentino Concilio inter eos adſcitus fuit, qui ſententiam de grauiſſimis rebus diceret, quod ab eo præſtitum, ſumma cum Patrum approbatione ob doctrinæ ſoliditatem, nec minori cum iucūditate propter ſermonis elegantiam ſemper auditus. Eo igitur diſciplinæ interioris Magiſtro, & conſcientiæ arbitro vſus eſt Robertus per annos aliquot, qui vt vidit animum ad alta natum, & cœleſti ſapientiæ capiendæ

ſupra

ſupra vulgarem captum excellenter idoneum non vulgarem in eo regendo rationem inire ſtituit, qua maiorem clientum ſuorum partem regere conſueuerat, aut quæ magis conſentanea teneræ videretur ætati; ſed altius ſpectans, diuino ductui ſuum ſubmittendum cenſuit, & ita indicare viam, vt currentem ſequeretur potius, quàm præiret; neque tam incitaret, quàm concitatè properantem moderaretur. Inductus eſt volens, libenſq; ad exercitia ſpiritualia S. P. Ignatij peragẽda hoc eſt ad fontes aquæ ſalientis in vitam æternam, ad quos nemo accedit illotus, qui nõ recedat apprimè lotus; nemo mũdus pura labra proluit, qui ſitim terrenorũ nõ extinguat; vt mihi proinde videatur (ſi licet nõ minima componere maximis) ſimile quid ſacramentorum vſurpationi cõceſſiſſe Deus ſanctæ iſtiuſmodi exercitationi, quòd quẽadmodũ illa, ſi ritè obeantur ex certa Chriſti pollicitatione gratiã conferũt; ita hæc ſi iuxta præſcriptũ regularũ paucarũ tenorẽ tranſigantur, ex eiuſdem Indulgentia nuſquam fallente exitu, quà morum emendationem, quà feruoris incrementum pro accedentium captu, conditioneq; ſecum afferunt: proinde libellus illa continens verè aureus, vtpote diuino inſtinctu; & Virginis Deiparæ ope compoſitus, ab Apoſtolica Sede meritò eſt approbatus, & à primis Eccleſię Catholicæ capitibus mirificè dilaudatus. Ad hunc igitur euoluendum, & ſcita ſalutaria breuiter exarata longa meditatione penſitanda, abdidit ſe Robertus in Conclaue à turba,

 ſtrepi-

ſtrepituq; ſemotum cum ſolo Polanco duce, ac inſtructore agens, vt paſſer in ſolitudine dies plures, & pleramque noctium partem in rerum diuinarum contemplatione ſuauiſſimè conſumpſit;& ſanè tam ingenti cum fructu, vt Angelum induiſſe, & tegere ſub purpura crederetur. Sed nec latere diu valuere ſcintillæ amoris erga Deum, & proximum, qui ſuccenſus in eo receſſu eſt, & ardere toto deinceps tempore perrexit. Orandi, meditandi, conſcientiam diſcutiendi vſum quotidianum, eumdem planè retinuit, quem ſcholaſticis noſtris in Collegio Romano familiarem eſſe nouerat, & diebus ſingulis Dominicis, feſtiſque reliquis, ſicut illi ſolent, ad ſacram Synaxim accedere: in ſumma ſenſuum cuſtodia viuere, animo ſemper in cœlum erecto, etiam cum ad hominum congreſſus, conuerſationemque deſcendere cogeretur, & eatenus hæc vniendi ſe dilecto ſuo cupiditas excreuit, vt cum amoliri cuncta impedimenta ſtuderet, venerit in mentem abdicare ſe facultatibus, atque adeo dignitate ipſa cardinalitia, & vicem eius Societatem Ieſu ingredi, ac in humilitate, Paupertateq; crucis mortificationem amplecti, vt Domini gloriæ, ac proximorum ſaluti impenſè vacaret. Neque verò per ipſum ſtetit, quin conſilium, vt ipſe putabat, de Cœlo, miſſum, executioni mandaretur; ſiquidem Polanco illud aperuit. ſollicitèquè vt admittererur inſtitit, nec prius fores pulſare deſtitit quàm inexorabiliter occluſas eſſe intellexit,

Patres enim bona candidati laudata voluntate, quàm tacitè intra se mirabantur, haud obscurè demonstrauere, & quæ inde secutura essent dispendia, offensionesquè, si rem adeo arduam nequicquam tentaret; & quæ vice versa compendia diuini honoris, & sacri Senatus bona sperarentur, si ab eo, ad quem elatus erat, gradu, lucere Ecclesiæ, & hominibus prodesse perseueraret. Spe igitur omni ingressus in Societatem præcisa, reliqua illi tum fuit cura eam, quoad liceret, imitari, & ad eius normam omnem vitæ suæ rationem componere; ideoque summam constitutionum, & regulas apud se habere facilè impetrauit, & eas legere, ac intelligere interprete Polanco studuit. Deliciæ illi cum viris Societatis versari frequenter domos eius inuisere, prolixos cum ijs sermones miscere, qui tamen de superis, de vita æterna plurimum ferebantur. Nihil illi, præter externa, de nostro deerat, cor, mens, lingua, affectus de medulla Societatis Iesu illi compacta; Et quam profiteri habitu religioso non permittebatur, imitari Christiana operatinne nitebatur. Ita perfectioni propriç impensè vacare, vt alienæ salutis obliuisci non sustineret, opem afferre miseris, afflictos solari, erga pauperes tam munificum esse, quàm census annuus pateretur, ac si peccandum erat, tolerabiliorem esse liberalitatis excessum, nimia cautione in retinendo existimabat. Detrahebat mensç quod misericordiæ dabat; eamque frugalem sęmper amabat, & aliquoties

ties in hebdomada esurialem, qualem ieiunia moderatà deposcunt. Paupertatis etiam decus, quantum fas esset in illa bonorum affluentia consectari: censuum Ecclesiasticorũ summa in Vincentium parentem ante reiecta, ne cogitationem quidem de pecunia admittebat, nisi quò misericordia ad eleemosynas pauperibus erogandas; aut amor scientiæ ad libros coëmendos, impellebat: horum namque lectionem etiam creatus Cardinalis non intermisit: sed humanioribus litteris, & Dialecticæ, quas ad purpuram attulit, grauiores Philosophiæ, ac Theologiæ partes adiungere honorificum duxit, mysticæ præsertim qua contemplationem cœlestium iuuari asserebat. Quibus in studijs occupatus ludos, & spectacula etiam inuitatus declinabat, & leuandi laboris, recreationisq; alicuius captandæ causa, septẽ Vrbis Ecclesias, & Martyrũ cryptas lustrabat; in ijsque pia meditatione hilarato animo vegetior corpore domum reuertebatur.

Mos illi, & voluptas in ijs Ecclesijs diutius immorari, Martyrum facta mente recolere, & familiaribus suis recolenda proponere conscenso suggestu, & habito de Sancto illius Ecclesiæ patrono breui sermone ad imitationem eius incitare. Sacris concionibus frequẽter intererat, Lainij verò vix vllam omittebat & domum rediens in ipso curru deductis cortinis adnotabat capita præcipua; quæ deinde in cubiculo commodius exarabat.

Aduersus domesticos singulari studio fere-

ba-

batur. Conuenire hunc, & illum priuatim, & monitis opportunis instruere: publicè quin etiam interdum omnes conuocare, & ex pio aliquo libello accommodatum tempori argumentum seligere, quod ipsemet recitaret, & scholijs breuibus illustraret. quo fiebat, vt benè, christianeque viuendi documenta non tam tradere, quàm à sapientibus tradita recitare videretur, eoque inuidiæ, ac suspicio vitabatur imprudentiæ, quod Cardinalis, & adolescens plurium familiæ virorum quos eruditione, ætate, prudentia graues seligebat, præceptorem ageret. Quamquam tanta cum modestia, ac venustate munus id vsurpabat, vt iuuenta, & dignitas adderent gratiam, ac iucundè, vtiliterq; lecta, in animos audientis coronæ illaberentur.

Illud pro sua auctoritate liberè, disertèque profitebatur, locum in sua aula minimè habituros diuinæ legis transgressores; gratissimos sibi fore quibus grata esset Sacramentorum frequentia, timor Domini, linguæ custoda, modestia, pax, concordia: qua diligentia effectum est, vt speciem quandam Religiosæ domus palatium eius induerit, quod moderatio, grauitas, circumspectio elegantius, quàm peristromata exornarent. Neque vlli exosa iam erat hæc disciplinæ domesticæ regula ab eo amata, à quo se amari tota familia animaduertebat, tum alijs indicijs nō paucis; tum verò hoc quod singulis diebus Sabbathi commensalem illam volebat, & ei accumbenti ministrare ipse gestiebat memor

Sal-

Saluatoris exempli, & dicti, ego in medio vestri sum sicut, qui ministrat, Quo fiebat vt non in aula solum; sed & in vrbe percrebuerit Robertum angelicam vitam æmulari, & non modo à factis, sed & à verbis audiendis, quę illis dissentanea essent prorsus abhorrere. In sui porrò custodia ita fuisse attentum domestici testabantur, vt ne famulorum quidem opera vellet vti, quibus fas esset in vestiendo, exuendoue partem vllam corporis intectam aspicere; ideoque, & vespere, vbi cubandum, & mane quando surgendum fuerat, ministras dumtaxat suas manus adhibebat, negata etiam oculis facultate vertendi se, vel ad ipsa crura, plantasue nisi obtectas: in quo, & reuerentiam præstare suo tutelari Angelo rebatur, & procul arbitris liberius deuotioni indulgebat, cui meditatione rerum diuinarum, & passionis Christi Domini pabulum delectabile ministrabat. ad huius etiam refricandam memoriam preces horarias ad normam Romanam digestas percurrebat, atque vt eius imitationem exprimeret, flagris asperrimis in corpusculum sæuiebat, ac alijs modis affligebat, quorum vnum inconsulto confessario excogitarat, humi videlicet cubationem porrò continuandã, si Polanci consensus accederet, quem sperabat indicata facilitate pęnæ huius aliquoties repetitæ citra valetudinis periculũ, & explicata fructus magnitudine, quem ex corporis castigatione percipiebat. Verùm irrita postulatio fuit, & feruor tantummodo commendatus;

Luc. 22.

pru-

prudens quippe Magister, vti in moderanda immodica afflictatione, cupiditate cilicij, & verberationis, ac iejunij vsu ad certam rationem reducendo cautus fuerat; ita in Cheumenia isthac concedenda inexorabilem se præbuit, & seruantur adhuc apud Nobilios Codex Passionis Caristi,& Domini libelli quibus auditas Lainij cõciones adnotabat;ciliciū quo thoracem totum inuoluebat, & id generis alia quædam ipsi quidem vsualia, sed à cæteris iam pro lipsanis sacris æstimata.

Ita in studio perfectionis fœliciter currentem,& longè plus spatij emensum in ipso flore adolescentiæ; quàm vulgares athletæ in senio confecerint, inuadens ægritudo propinquæ metæ premonuit, & in vltimam induxit scenam, in qua Patientia non minus luculenter suas ageret partes, quàm cœteræ virtutes in præcedentibus egerant suas. Non solum febris venis incubuit, & artus immoderato calore torrefecit; sed aliis comitata morbis fæuiens, sex menses decumbentem exercuit, Grauis admodum excruciabat dolor ex vlcere lateri proueniens, cui incumbere, mors, & obuertere tormentum erat. Id tamen tanta cum animi æquitate ferebat, vt nec indignationis, nec querimoniæ signum vllum vnquam dederit. Quinimo alacritate vultus, macie iam, & pallore confecti lætitiam exultantis animi de morte impendente ostendebat, & liberari se gaudebat à molestiis vitæ, quas sæcularium conuersatio ipsi ineuitabilis, & inter mortales commoratio

pri-

pridem incolumi pepererant. Cogitatio eius omnis de diuinis, cura de remedijs nulla, tota consolatio frequenter sanctissimam Eucharistiam sumere; idque primis quidẽ mensibus deiectis humi de lecto genibus, quod diebus postremis cum vix ossibus hærens, ac spiritũ ægrè trahens, præstare nequiret profundissima reuerentia, & animi demississima supplicatione compensare studebat. Summa illi delectatio de Domini misericordia, & de cœlesti gloria loqui, & loquentes audire, ideoq; religiosos viros assidere sibi optabat; Polancum in primis, quem vltima vitæ die facta confessione rogauit, vt Patribus, fratribusq; Domus, & Collegij Romani se vehementer etiam atque etiam commendaret. Qui illi erat ab epistolis vir grauis, & moratus scriptum reliquit, de medicorum consilio remedium à coniugali officio accessurum, morbo periculoso Inane commentum, & adolescenti angelicæ assueto vitæ omnino præposterũ, ac vel ipso cogitatu horridum. Iacebat exanime corpus, & languidos artus mors vicina quassabat, flebant adstantes, & largis imbribus ora rigabant, ille solus lætitiam vultu, oculisq: præferẽs collecto spiritu verbis æternitatem sonãtibus solari mærentes conabatur vel hoc potissimum, quod tam iucunda esset illa migrationis hora, quantam in omni vita nunquam existimasset futuram. soluebantur interim postrema officia cum inter extremos anhelitus erupit in hęc verba: Humilitas, humilitas, humilitas, & palma pectus pangẽs

se peccatorem fassus intentis in Christi imaginem luminibus, placidissimè expirauit, mansitque vultus post animæ discessum Serenissimus. Neque vana fuit eorum coniectura, qui putauere humilitatis Clypeum obiectum retundendo fortè telo inanis gloriolæ, quam custodiæ legis diuinæ, & candoris Virginalis cogitatio nolenti exciebat: verum quæcumq; demum causa postremi conatus fuerit, index fuit amoris erga dilectam à Christo virtutem cuius ne in morte quidem obliuisci potuit; & arrha fuit gloriæ cœlestis, quę nulli verè humili denegatur. De eius obitu, vt nuncius ad Paulum IV. P.M. delatus est, illacrymasse tenerè dicitur, & Robertum Angeli nomine decorasse. Et spiritus quidem auolauit in Cœlum inter centum quadraginta millia receptus eorum, qui in conspectu throni, & agni tenent citharas, & cantant canticum nouum, quod nemo alius canere potest, quia Virgines permanserunt; Corpus verò ad D. Petri in Monte Aureo tumulo honorifico cõditum, & Epitaphio decoratum, quod huic insertum loco compendium dictorum est, haud ingratum lectori futurum.

Ie-

Iesu Christo Resurrectionis, & salutis Auctori.

ROberto Nobili Politiano Sacræ Romanæ Ecclesiæ Diac. Card. qui 13. annos natus ob egregiam virtutis indolem ab Iulio III Pont.Max. eius magno auunculo Patribus Vniuersis approbantibus in amplissimum Collegium cooptatus, ardentissimo cum esset Religionis, ac litterarum studio, semestri tabe summa patientia cōfectus, dum se iucundissimam mortem sentire affirmaret, suosque extremo spiritu mirificè consolaretur in cœlestem vitam quàm assiduè meditabatur cōmigrauit XVI.Cal. Feb. MDLIX. Vixit Ann. XVII.M.IV. D.XII. H.XVI.
Vincentius Pater filio opt. ac dulcissimo F.

Suum etiam Elogiū addere libuit Catharinæ Sfortiæ in æde S.Bernardi ad Thermes Diocletianeas, vbi elegans extructum est Nobiliū Sacellum, statuis marmoreis gentilitijs, circumquaq; ornatum, & sepulchro in pauimento splendidum, quo pars ossium Roberti à Monteaureo translata est.

Roberto Nobili Diac. Card. adolescenti
Innocentiæ, Sanctitatis
Rarissimi Exempli
Catharina Nobilis Sfortia Fratri dulcissimo
ac desideratissimo
Vixit An.XVII. Obijt An. MDLIX.


S · THOMAS ·

G

Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis omnia in GLORIAM Dei facite 1. Cor. 10.

Accumbens mensæ, ora: esitans panem, largitori gratiam rependito: bibis vinum, memento eius, qui illud tibi dedit ad lętitiam, & infirmitatum solamen: tunicam induis, gratias agito benigno datori: suspicis in cœlum, & syderum pulchritudinem, procide Deo, & cole eum, qui cuncta hæc in sapientia condidit. Pari modo, oriente sole, & occidente, in somno, & vigilia, Deo gratias age, qui hæc omnia ad tuum commodum creauit, & ordinauit, vt creatorem agnoscas, ames, & laudes. S. Basil.



S. Thoma De Aquino
Castitas Angelos facit, qui eam seruauit Angelus est, qui perdidit Diabolus S. Ambros.

S. Thomas Aquinas.

NVmera ſtellas cœli ſi potes, & numerabis Dominicanæ familiæ decora multitudine innumera, magnitudine admiranda. Non inuenies inter illas Thomam Aquinatẽ, quia Sol eſt: imo inuenies, quia ſine Sole non ſunt Stellæ. Ex infinitudine laudum eius pauca hæc accipe ex vulgatis, & grauibus vitæ eius ſcriptoribus.

Landulphus comes Aquini, & Theodora nobiliſſima coniux parentes fuere S. Thomæ Aquinati. Quibus altius repetere originem iucundum eſt, agnatam Imperatoribus faciunt. Partus eius Eremicolę vaticinio præuentus eſt, Bonus hic cognomento dictus, matri prægnanti prædixit parituram infantẽ, qui fratrum Prædicatorum ordini nomen daturus, & doctrinæ, ac Sanctitatis Luce Mundum eſſet illuſtraturus.

Infantia præſagio in B. Virginem Cœli Reginam fuit illuſtris; cum enim chartulam forte obuiam manu prendidiſſet, & nutrix balneo admotura conaretur detrahere, adeo valide digitulis complicatis adſtrinxit; vt ſine læſione auelli per vim non poſſet. Parens blandimentis extorſit, & explicatam curioſius intuita, ſalutatione angelica exaratam inuenit. Repetenti ſecundum ablutionem infantulo libens reſtituit, iſque auiditate pluſquam puerili emanſam deglutiuit, vt ſi melimella voraſſet, Profecto ciendo appetitui papyrus, & characteres non erant; neque pa-

latum suaptè natura ad delectabilia pronum, in frustulum insulsum inhiasset; sed voracitas extemporanea indicauit qualis esset fames, & cuius cibi suo tempore degustandi.

Illustriorem adhuc pueritiam reddidit prodigium alterum, quod fama vulgatum, & pictorum arte repræsentatum, vt quid insolitum, ac mirandum monumentis scriptorum insertum obijci Lectori sine temeritate potest. Produnt puerum quadriennem insigniter ad misericordiam erga pauperes propensum, erogare solitum quicquid dono acciperet; insuper, & pio furto frusta panis surripere, vt eorum subleuaret inopiam. Vsu venit aliquando, vt Landulpho Patri onustus id generis analectis, fortuitò obuius interrogaretur, quid gestaret in sinu, cui puer, rosas, inquit, & aperto sinu volenti videre, rosas apparuisse vernas tempore non verno.

Speciosa isthæc, & diuina extra limites humanitatis posita, nec humano quærenda studio; illa salutaria, & optanda in puero, morum facilitas, indoles ad parendum moderatoribus procliuis, ad pietatem flexilis, ad disciplinas habilis, modesta, quieta, à leuitate; à garrulitate, à scurrilitate, & lusibus aliena: quæ talia mirabatur in S. Thoma Monasterij Cassinensis Præsul, cuius custodiæ ac educationi creditum quintum agentem annum parentes eius voluerant, & propterea idem auctor illis fuit, vt è septorum sacrorum vmbra eductum, & Neapolim reuocatum traderent instituendum grauioribus studijs
præ-

præceptori minimè vulgari, ſed qui ingenio, ac eruditione pręcelleret, futurum enim alioqui vt ſupra Magiſtrum diſcipulus emineret. Ita traditus diſciplinæ Petri de Hibernia celebris ea tempeſtate Philoſophi, eos faciebat in ſcientiarum naturalium progreſſus, qui Magiſtrum ipſum, ac ſodales, atque adeò Vrbẽ totam in admirationem traherent. Pueritiam ergo Deo caram, Angelis amabilem, hominibus mirabilem tranſmiſit Thomas adoleſcentiæ donis amplioribus cumulandæ.

Initium illi datum ab ingreſſu in ordinem Prædicatorum in quem veluti annulum aureum, ac ſplendidum libuit diuino artifici gemmam pretioſam inſerere in ſolem Mundi illuminatorem olim migraturam. Sed quantæ illi in operis præclari aggreſſione difficultates ſuperrndæ; quas caro, & ſanguis, mater, ac germani peperere? mali Dæmones adauxere? Prætermitto cæteras, quæ conſtantiam in tuẽdo propoſito Religionis oſtendunt, vnam me ſilentio inuoluere Virginitas non patitur, quod præualido adoleſcentibus ad imitandum ſtimulò, & exemplo ad vincendum in ſtudio Caſtitatis certantibus eſſe queat.

Raptum per violentam manuum iniectionem Pariſiios proficiſcentem, fratres inſtigante matre in arcem caſtri S. Ioannis abducunt, & in cubiculo includunt obſeratis foribus, ne pedem efferret, quo modo ſi reus ſceleris latomias mereretur: lacerauere religioſas veſtes quibus ipſum obluctantem per vim, & ſum-

mam inhumanitatem exuere nequicquam tentauerant. Non fuit genus, vel minarum, vel illecebrarum, quod intactum relinqueretur, quò animum tyronis exagitarent, vexarentque, si fortè mutarent: ast impares fuêre conatus omnes constantiæ, ac spiritui intus agenti, & suum clientem roboranti. stetit intrepidus ad ictus omnes, adeo vt oppugnatores blandi, seueri, occulti, manifesti, tandem fessi desperatione cederent, ni extrema tentare malus genius persuadebat. Quæritur adolescentula paris cum pulchritudine audaciæ, & ad pelliciendum astutiæ, amplæ fiunt pollicitationes, si victrix de pugna infausta redeat, & athletam Christi irretitum laqueis suis in conclaui relinquat, rursus reuisura. Incessit procacula telis armata cupidinis, quibus peteret pudicum iuuenis cor, & feriret, vt aliorum consueuerat lenocinio blandiloquentia, osculo. Verberauit primis eiaculationibus aerem, & in cassum ibant blanditiæ fuci, astus, nec tamen destitit, quoad arcu sæpe displosо tandem extremam cutim Virginei pectoris titillatione modica vellicauit, nō vulnerauit. Enim vero ad eum sensum humanitatis adeo exarsit ira in se, in pellicem, in erebum pudoris amator inclitus, ac strenuus, vt arrepto per summam indignationem è vicino foculo titione ludibrium illud impudicitiæ fugarit, & è cubiculo eiecerit. Abacto è suo conspectu mōstro in pariete sacris imaginibus casso, signum salutare deducit, & ante illud procumbens se dat in preces, gratiasq;

pro relata victoria creatori ex intimo corde agit, Virginitatis conseruationem ardenter deposcit, neque lacrymis præ teneritudine finem ponit, quoad irrepens sopor non ille germanus mortis, sed vitæ comes, alternantium cogitationũ fluctuationi,& artuũ fatigationi quietem placidissimam inuexit. In ea visendos se obijciunt duo Angeli stolis albis amicti, & mira formositate fulgidi, dextris hinc inde nodosum cingulum præferentes, qui & missos se à Deo asserunt, vt solentur, & acceptam, exauditamque orationem, qua castitatis perpetuæ, ac illibatæ donum postulauerat.

Ac ne dubitandi de nuncij veritate facultas esset in posterum, vterque tam validè cinctu illo lumbos perstrinxere, vt præ ingenti dolore expergiscens clamore magno do mesticorum aliquot propinquiores exciuerit, qui illicò accurrerunt opem laturi, si quid sinistri fortè contigisset, quod amoliri oporteat. Hos metu vacuos iubet esse; sed causam cælat clamoris, quam neque vnquam vlli mortalium aperuit, nisi fratri Reginaldo Achat suo fidelissimo, quem, serò licet, idest sub vitæ finem, certiorem fecit, ne secretum luce dignum tenebris ignorationis obuolutum lateret posteros, quibus honori debuerat, & vtilitati deseruire. Et non fuisse hoc inane somnium qualia non rarò humanas illudunt mentes, argumento haud dubio sunt. Primò quia præcincta cingulo non ficto latera euigilans

gilans reperit, & exuere deinceps in reliqua vita religioni duxit. Deinde quia illo tanquam vinculo religatus est adeo arctè insitus filijs Adam coucupiscentiæ fomes; vt nusquã deinceps, ne hilum quidem, extra fines honesti mouere se sit permissus, neque adolescentiæ, aut reliquæ ætati esse infestus, quam liberam ab omni prorsus nõ contagione modo, sed molestia carnis traduxit tranquillissimè Thomas, ideoque Angelici nomen promeruisse perindè est, ac vitam Angelicam superis adsimilem spiritibus egisse. Duco ego fœlicitati inspexisse oculis, & libasse oscula sacro illi cingulo, quod asseruatur Vercellis in Pedemontio inter Lipsana Patrum Prædicatorum, vt cœleste monumentum, ac sigillum Virginitatis Diui, opere angelico cõtextum, nodis crebris distinctũ in colorẽ subfuscum (præ vetustate ne, an materiæ ignotæ speciei, qualitate) vergens? Longitudo quãta ad obuoluenda iuuenilia latera satis superque est. Latitudo auricularis semidigituli magnitudinem non æquat. Ex illo veluti prototypo conduntur exẽplaria de lino, vel serico adamussim expressa, & attactu eius sacra; quæ armamenta sunt aduersus rebellantis sensus incursiones: Atque hoc vnum dumtaxat nobilissimę victorię egregium facinus proposuisse adolescentibus operę pretiũ est visum, cætera quæ gessit, scripsitque denarrasse labor, & cura fuit aliorum, qui Sancti Thomæ vitam ex instituto quà vulgari,

qua

quà latino ſtylo eleganter prodidere. Summa eſto (ſi ſummæ ſit capax immenſitas) ritè congruenterque pectori eius affingi ſolem, quòd in religioſis clauſtris fulſerit, vt ſol diſciplinæ, ac obſeruantię nitore. Ab exedris, cathedriſque Academiarum fuderit ſapientiæ radios; ſuggeſta templa concionum luce colluſtrarit; Remp. litterarium ſcriptorum copia, doctrinæ ſoliditate, inuentorum profunditate, ingenij ſplendore, ac fœlicitate iuuerit; Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem, ornamẽtum, præſidium exemplo, ſanctitate, miraculis tulerit; orbem vniuerſum naturæ, & gratiæ donis affatim cumulatus in admirationem traxerit; in Ciuitate Hieruſalem ſuperna cum Auguſtino, cæteriſque Doctoribus ſplendeat in perpetuas æternitates, vt qui ad Iuſtitiam erudiuit multos, Reges, principes, nobiles, ignobiles, religioſos, ſæculares, doctos, indoctos, ſenes cum iunioribus, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius: Cantet ibidem canticum nouum cum 144. mil. qui ſequuntur Agnum, quocumque ierit.

Et quia tam pretioſa ſunt quam rara, id genus cingula, quæ pignora Virginitatis Deus eſſe voluit, moneor id loci opportunè inſerere, quod lectori nouiſſe iucundum, & eſt nobiliſſimæ nationi Hybernicę glorioſum. S. Colmanus Patre Duaco Connaciæ in Hybernia Principe genitus, ab ineunte ætate cum virtutes omnes, tum in primis animi corporiſque virgineam puritatem coluit. Eius vitam

&

& res admirabiliter gestas prosequitur. Seuerinus Ketinus in Historia Regum Hyberniæ, & ex varijs auctoribus colligit Eugenius Colganus Franciscanus in Actis sanctorum item Hyberniæ. Huius viri Dei cingulum tanquã pudici, quod succinxerat corporis attactu sacratum in pretio à posteris habitum, & auro gemmisque cælatum in hunc vsque diem apud Illustrem, & perantiquæ nobilitatis familiam de Oshiaghnesij, velut sacrum patrimonium, & auitæ virtutis symbolum in summa veneratiane asseruatur, de quo inter multa, & admiranda, quæ per illud exhibentur curationum genera, illud insigne, & continuò memorabile occurrit, quod frequens experientia comprobauit. Quilibet enim quantumcumque corpulentus, aut obesus, qui virginitatem seruauit illibatam, potest illo sese precingere, & circumcludere: qui verò Virginitatem in aliquo violarit, vtcumque sit vel minor ætate, vel gracilis, aut strigosus corpore, nunquam illud sibi ita obducere potest, vt in eo se concludat; ita scilicet castissimorum lumborum beati viri cinctus dedignatur alios, quàm illesi pudoris florem redolentes intra se admittere, aut illorum lateribus aptari. Obijt S. Colmanus 3. Februarij, circa annum Domini 592. ita prædicti Auctores.

Quibus insuper cura fuit aliorum non paucorum gesta recensere, qui gentilitiam nobilitatem virginitatis candore maluere, quàm

quàm nuptijs decorare, vt nihil deeſſet ad gloriam euangelicæ perfectionis generoſæ genti, cui tantum ſupereſt roboris, conſtantię, fortitudinis in auita fide aduerſus recentes ſectarios aſſerenda, vt æquare immenſam laudem primorum Chriſti militum meritò cenſeatur.




·S·IACOBVS·MINOR

H

Humilia valdè ſpiritum tuum, quoniam vindicta carnis impij ignis, & vermis Eccl.7.

Iſta tria ſemper in mente habe. Quid fuiſti, quid es, & quid eris. Quid fuiſti, quia ſperma fœtidum. Quid es, quia vas ſtercorum. Quid eris, quia eſca vermium: ſimiliter imagineris Inferorum pœnas. S.Bern. in formula vitæ honeſtæ.



S. FRANCISCVS XAVERIUS.
Indiarum Apostolus
Nuptiæ terram replent, Virginitas Paradisum. S. Bernad.

S. Franciſcus Xauerius.

SAncta Romana ſedes, cuius effata ſunt oracula, cuius firmamentum, numen adſiſtens eſt, vt ampliſſimam ſegetem virtutum, ac miraculorum S. Franciſci recognouit, ac immenſa animarum lucra mirata eſt, celſiſſimo Apoſtoli titulo decorandum cenſuit, & Apoſtolum Orientis in ſacris faſtis, ac diplomate Canonizationis nominauit: qua breui appellatione prolixam laudum planè ſingularium copiam complexa eſt, quæ à ſacra rituum Congregatione maiori ne diligentia expenſæ, an ſtupore approbatæ in ambiguo eſt. Seligo è vaſto rerum geſtarum campo pauca quædam quibus conſtet Virginitati etiam à ſuo heroe acceſſiſſe honorem hũc, vt Apoſtolica nominetur, quia meritò ille Apoſtolus nominatus eſt à nomenclatore aberrationis neſcio.

Prima adeo causa, à qua cæteræ ducunt originem, cur dicatur Apoſtolus, diuina fuit electio, quæ in ſe ipſa latens, & ſenſui humano minimè peruia, ſignorum tamen oſtenſione ſe prodit adeo manifeſtè, vt illi refragari temeritatis ſit, ac amentiæ non ferendæ. Talis fuit quæ conſecuta eſt tempore à Deo deſignato Miſſio ad Indos cum Apoſtolici Nũcij prærogatiua, quam Chriſti Vicarius Paulus Tertius nil de ea cogitanti per Ioannem Tertium Regem Portugalliæ obtruſit.
Et auget fidem Ignatij in paucis ſanctiſſimi arbitrium, atque delectus, qui

cum nihil nisi consulto prius luminum patre aggrederetur, in hoc grauioris momenti negotio eum selegit è socijs quem à Deo electũ peculiari instinctu nouerat ad facinus Apostolicum aggrediendum, ac perficiendum. Et compertum est Franciscum Xauerium esse quem S. Thomas Apostolus venturum ex Europa prædixerat successorem sibi, eo planè tẽpore quo mare crucem à se erectam exundatione pertingeret, allueretq; & hæc fama antiquissima ab indigenis transmissa per traditionem ad posteros, tum vires accepit, cum fretum simul transgressum est littus antiquũ; simul aduentauit Europeus concionator, qui iacta à S. Thoma fidei semina longa superstitione propemodum suffocata, Verbi calore excitet, & rursus educat in claras Euangelicæ legis auras:

Accedit vaticinium alterum sororis Franc. sanctimonialis sanctitatis opinione celebris, sine ambiguitate afferentis, olim ipsum fore Indiarum Apostolum, ac eapropter parentem monentis curaret diligenter adolescentem litterarum studijs sedulo nauare operam, gentium conuersioni opportuuè profuturam. Apparuit insuper Venetijs commoranti S. Hieronymus Ecclesię Doctor, & de Indica profectione non diù post subeundą certiorem reddidit. Quinimo Deus ipse ad cor eius nũquam non loquens, dum vna cum socijs publicæ animarum vtilitati totum seipsum impendit, inculcare interiori voce nõ cessabat de Apostolo Paulo effata illa. Vas electionis est mihi

mihi iste, Ego ostendam illi quanta oporteat illum pro nomine meo pati: Nec alteri quã sibi ipsi occini cantilenam hanc interna quadam luce cognouit, nec obscurè quando Indum opem à se petentem per quietem vidit, & aliàs gestare sibi pondus grauantis humeros Aethiopis somnians visus est ac, superstes defatigatio mansit, quam experrectus non sentire non potuit. Act. 9.

Alia signa sui Apostolatus numerat S. Paulus, in quibus si gloriari voluisset, hic alter Paulus, non fuisset insipiens. Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos (inquit ep. 2. Cor. 12.) in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus: Patientia sanè Xauerij, quam latum habuerit campum metiri libet ex ijs in quibus exercitam affirmat suam Paulus eiusdem epistolæ capite præcedenti. In periculis videlicet fluminum, quæ transnanda sæpe fuere, in longo peregrinationum cursu, non paucioribus, quàm centenis milliariorum millium constante; sed tum maximè periculoso cum toto bimestri famulatum præstitit Equiti Meacum properanti, onustus sarcina apparatu sacro, & pijs libellis compacta, nudus pedes algore, & crebris offendiculis laceros, transibat omnes, vt præeuntem assequeretur, quem tingere salutaribus vndis discupiebat.

Periculis latronum.

Siue cũ piratæ maria infestãtes occurrebant; siue cũ nationibus efferatis occurrebat ipse, vt Euãgelio imbueret; siue cũ bis in manus præ-

 do-

donũ trucidandus fœda proditione da tus est, ad quod pertinent.

Pericula ex gentibus.

Tetra, horrida, infanda? A multitudine Bungensiũ Bonziorũ coniuratione facta vix non est in frusta dissectus. Ad necem quęsitus ab ijs quos veræ vitæ parturiebat, aufugit in syluam, & arbore conscensa tectus frondium velamine noctem orando consumpsit. Alias contra superstitiosum Idolorum cultum inuehens districtos in se idololatrarum gladios adeo non horruit, vt Dei fiducia, ceu clypeo protectus, eluserit. In Amangucij regis aula palam ludibrijs exceptus, & velut insanus reputatus est. Alibi venena illi parata, tensæ insidiæ, displosæ sagittæ, iniecti lapides, proiectum lutum, lœdoria, contumeliæ, iniuriæ, opprobria aggerata ab Ethnicis, à Saracenis, à perfidis Christianis, à plebe infima, à puerorum gregibus, à nobilibus, à Sacerdotibus, à profanis, ab omni hominum genere, non in oppidis duntaxat, & confertis vrbibus, sed &.

In solitudine.

A peregrino ad lucra animarum inhianti, quæ fuit vspiam amata, vel quæsita solitudo? Imo vero quæsita, ac inuenta cum in Mauri insula saxorum grandine appetitus ab incolis Gentilibus eorum frequentiæ se subducens ad flumẽ propinquũ fugit, & obuiam trabem, ceu leuem virgam manu prehendẽs ad aquas deducit, atque illa conscensa ad alteram ripā adnauigat, & ictus crepitantium saxorum solitudinis beneficio de-

deuitat. Verum quando non fuit solus cui vrbes, populi conuersatio, Eremi præstitere cōmoda, neq; mentem à Dei vnione abstraxere? Quod si solitudinis otium diurna negotia perturbabant, noctium compensabant silentia, quibus cum Deo loqui, & familiariter agere summa illi voluptas erat; neque tamen suis hæc solitudo periculis caruit, nam larue tartaree non medo quietem hanc strepitu, & incondito clamore turbare; sed intrepidè in oratione perseuerantem fustibus verberare. Neque tamen eatenus sæuire permissi fustigatores improbi, vt rabiem explerent, ac attererent, sed victi orantis constantia B. Virginis ope roborata, delusi recedebant. Non defuere etiam periculis, solitudinis pericula.

In falsis fratribus.

Franciscum, quem clarum miraculis nationes gentium suspiciebant, quem prodigè erga genus humanum beneficum adamabat Oriens, admirabantur populi, venerabautur nationes, tremebant inferi, honorabant superi in portu Sanciano vltimo terræ angulo ægrotum, rebus omnibus ad vitam, & curationem necessarijs destitutum comites omnes derelinquunt.

Quinimo, & antiquus hospes, eius familiaris terga vertit, & in tuguriolo sine cibo, sine lecto, sine medico, destituit. O inhumanitas etiam barbaris detestanda! Potius dixerim ò prouidentia prædicanda clementissimi, numinis, cui libuit in extrema subsidiorum humanorum inopia, suæ beneuolentiæ

diuitias elargiri, & cui martyrium denegarat, simillimum Regi martyrum in morte reddere, cui sitire se proclamanti ne poculum quidem frigidæ porrectum est.

Affinia fuere, quæ ad vellus aureum conuersionis gentilium vela pandentem inuasere pericula perplura, & decumana.

In Mari.

Communia illa fuere: ventorum flatus, ac agitatio frequens nauigiorum: tempestates horridæ, ac tetræ: Sirtes, Charybdes, scopuli, prædonum incursus; piratarum; Incursiones, ac impetus, & mala cætera ab infido elemento timenda, è quibus protegente se Deo incolumem haud semel euasisse litteris ad socios perscriptis testatur. Illa peculiaria. Triduo naufragus, & vndis huc illuc circumuolutus, & tantum non absorptus, ad litus tandem eiectus, ac duplici alij naufragio reseruatus, & in neutro demersus, vt dicere cum Paulo posset. Ter naufragium feci. Et fecisset sæpius, ni precibus interdum, aliàs imperio, aliquando sacris lipsanis tumentes fluctus compressisset, vt iam increbesceret fama nullam perituram nauem, quæ Franciscum veheret, & contenderent inter se nautæ, vt vectorem in suo quisq; nauigio haberet. Sed quid si cui mare, & procellæ obtemperabât, infernus insidias, & necem machinabatur? Cum enim ardore Christi in Iaponia prædicandi Ethnico prædoni se se credidisset, quòd nauclerus non adesset alius, conatus est Diabo-

bolus per Idolum loquens, causam infortuniorum, quæ in nauigatione acciderant, in caput insontis reijcere; vel vt perderet, vel saltem ingressum in Iaponiam præpediret; sed frustra laborauit; nam ipso Assumptæ Virginis festo, agitatus diù celox portum Cangonimanum tenuit, inde in vrbem Sasumæ pedem intulit Xauerius, & quæ fortunata hospitalitas Paulo Iaponio cessit, in domo sua terra, mariq; iactatum excepit, & humanissimè habuit: felicior, quod eo doctore primus Iaponum baptismum recepit, & exemplo præiuit multitudini innumerabili reliquorum, qui salutaribus vndis lustrati sunt, & quidem Francisci dextera ad plurima millia. Vt certaret inter se fructus ex labore collectus, ac labor ipse, vter magnitudine excedat; certum tamen hoc sit quod procurabatur.

In Lab. & Ærumna.

Quotus enim dies, quota nox; quæ hora vtriusque vacuum labore Xauerium vidit? prima adeo cura erat animorum lucrum cōcione, cathechesi, sacramentorum administratione comparandum: hanc excipiebat corporum seruitus, pauperum, diuitum, nobilium, ignobilium, quocumq; occasio se dabat, aut necessitas postulabat: & obibat libès abiecta quæq; munia, omnibus omnia factus vt omnes Christo lucrifaceret. Qui, feruor animi ad compendia istiusmodi semper intenti in Nosocomijs, & ægris vbicunque tandem iacerent curandis eluxit, quoniam & lecto-

ni ... ster-

sternere, & curare vulnera, & pannos abluere; solari, interdiù, noctuq; adsistere, & omni caritatis officio præsto esse, etiam cum male valeret ipse, dummodò stare posset, suarum ducebat esse partium seruire, quod erat alienarum. At hæc inter priuata forte censebuntur si cum publicis conferantur laboribus quibus Reges, ac dynastæ, & integræ prouinciæ ad Euangelium sunt traductę, & sudoribus eius irrigatæ: Orientalis plaga maxima ex parte superstitionem exuit prædicatione eius exculta, & assiduis excursionibus fidei regnum ampliatum: In ijs ludus erat hyemis rigor æstatis ardor, fames, sitis, vigiliæ, vt addi possit merito.

In vigilijs multis.

Etenim sola necessitas,& hęc extrema intermitterecogebat vigilias,si intermittere dicendus est,qui binas,summū ternas horas quieti cō cederet, vel humi cubitans, vel incommode sessitans, vel in durò strato decumbens, & leuissimo somno continuans orationem, vt ex suauissimis cum Deo colloquijs sæpius ab obseruatoribus auditis, liquebat: Neq; rarò euenit, vt hoc modicum leuamen lassatis defatigatione artubus debitum negaret cùm ad ægrorum solatium erat excubandum, vel sanis egentibus, subueniendum: & quamuis nec manducanti, neq; bibenti, prolixa non erat opus dormitione, ipsa tamen abstinentia vires imminuens corporis laborum tam grandium molestiam, ac sensum augebat. Namque

In fame, & siti, in ieiunijs multis.

Auspicatus est seruitutem Dei Parisijs vbi se formandum spiritualibus exercitijs Ignatio credidit; cum enim sociorum nullus, qui ea obierit inuentus sit, qui saltem per integros tres dies, & eo plures omni prorsus cibo, potuque non abstinuerit, Franciscus iam tum ad facinora generosa grassans, ieiunus septem dies, noctesq; meditando transegit, prorsus incibatus, vlterius tracturus, ni magistri, ac ducis Ignatij imperio cibum capere iussus esset. Inde Venetias cum sodalibus ex condicto proficiscens; Romam versus, per vias asperas, ac ultulentas hyeme perfrigida; solemne Ecclesiæ ieiunium in dies illos incidens eo rigore seruauit, quo maiore vix tolerasset eius vita emendicato sustentata. In itinere ad Indos largum commeatum à Rege Lusitaniæ constitutum repudiat, & viaticum cum fiducia in Deum commutat, ac eleemosyna à vectoribus corrogata parcissime victitat: parcius adhuc apud Indos plurimum barbaros, ac immisericordes exiguo obrizæ dimenso semel in die contentus à diuina virtute vires, ac robur impetrat ad labores immodicos tolerandos. Cum ad S. Thomæ sepulchrum 150. millibus passuum Nagapatano distans, inuiseret, nauis oborta tempestate in obuium portum compulsa, consistere coacta est, quoad reddita mari tranquillitas commodum nauigationi fecit. Id loci Xauerius totos septẽ dies ieiunus mãsit, vt iure iurãdo affirmauit qui curam eius gessit in toto illo maris tractu.

Ne-

Neque ſolum in ieiunij tolerantia eluxit patientia, ſed eriam.

In frigore, & nuditate.

Aduerſus temporis iniurias: æſtus, frigora, pluuias, glacies, ventos vilis lacerna ad tegendos artus, non ad fouendos retenta; reliquorum veſtimentorum vicem ſupplebat feruor caritatis, & amor patiendi ab ipſo exercitiorum fonte hauſtus; & prodi cœptus cum alias ſæpe; tum luculenter in illa peregrinatione, de qua ſupra retulimus, Pariſijs Venetias; quæ vt eſſet aſperior ad frigus, & nuditatem nouo inuento lacertos, & coxendices funiculis adeo arctè conſtrinxit, vt ad intima carnis pene trauerint, & tumorem, ſaniem cruciatum; deſperationem vitæ induxerint, ni deficiente medicaminum remedio, ſodalium preces ſalutem attuliſſent: nam manè ſequenti incolumem ſe aduertit Franciſcus: tumor reſederat, funes profundè demerſi foras emerſerant, nodi ſoluti, leuia ſolum mali veſtigia cuti hærentia manſerant abſque dolore vllo, diuinæ beneficentiæ indices, ſtupentibus omnibus, quibus heſternum periculum innotuerat, atque adeo Chirurgis ipſis, qui præ horrore admouere manum, ferrumue lanienæ illi nequaquam auſi, miraculum euidens prædicabant. Nudis pedibus & rudi canabina tectus immenſa Orientalis plagę ſpatia peragrauit, & frequentia reliquit veſtigia ſuæ nuditatis ſignatas ſanguine ſemitas, ac flumina, quæ eruentatis ſpinis, ac ſilicibus plantis tranſnare oportebat; vt nihil

interim attingam de cruore, quo cæsa flagellis membra madebant, siue hoc pœnæ genus in memoriam Christi passionum sumebatur per noctes quàm creberrimè; siue ad conuersionem peccatoris cuiuspiam per diem in semotis syluis; siue vt carnem iam vitijs, & cõcupiscentijs mortuã immolaret Christo hostiã viuenté, ac puré; siue alios ob fines, hóc vnũ assecutus est, vt signum sui Apostolatus daret patientiã eximiam, ac prorsus admirãdam.

In Signis.

Huic accenset Paulus in signis, ac prodigijs, hæc sunt miracula, & prodigia quibus doctrinæ à se traditæ veritas confirmabatur. Sane Xauerij miracula tam multa in dies, & horas patrabantur, vt cupiditas incesserit Episcopo Malacensi innumerum illa redigere quæ in ora suæ diæcesis subiecta fama vulgabat: Et cum ad octingenta adnotasset, & multiplicari passim inaudiret, cessandum ab eo labore satius duxit, quòd excresceret in immensum. Certè quæ inter illa maximum est mortuorum suscitatio, ad aliquot decade recensent publicæ tabulæ legitimè sedis Apostolicæ auctoritate confectæ, & ab ea approbatæ, eorum qui vitæ, qua excesserant à Xauerio restituti sunt, quod ægrè in paucis sanctorum diarijs reperiant, qui S. Martinum Turonensem Episcopum trium mortuorum suscitatorem egregium mirantur, & in cęlum laudibus extollunt. Percurre elementa cuncta quibus vniuersitas cònflatur orbis, & nullum inuenies miraculis Francisci vacuum. Si cœ-

lum

lum ſpectes, Crux mira luce coruſcans indę demiſſa à terræ dehiſcentis fouea excepta eſt impendentis perſecutionis index; ſiquidem Inſulæ Ceilanæ Rex ſexcentos trucidari iuſſit, quod fidem Chriſti hortatore Franciſco eſſent amplexi, nequicquam adnitentibus Ethnicis eam effodere, ac diffindere, quo prodigio commota ingens multitudo Gentilium virorum, ac mulierum nomen dedere Chriſto; inter quos filius Regis natu minor ſecutus exemplum Maioris, qui particeps martyrij prius interfectorum factus fuerat; poſteriori adhęſit ſobrinus principum iſtorum duorum, & alij Regiæ cohortis primarij perplures.

Vim eius pariter ſenſit ignis cuius incendio ac flammis voracibus domus non paucas liberauit. Perpluit aer aceruos cineris, pumices accenſos, & lapides flãmatos ſuper Tolenſem ciuitatem, & defectionem eius à Chriſto, & à Luſitanis vindicta mulctatam indicauit. Idem blandiri ſępius eſt viſus, cum ſpiritu eleuãte in altũ liquidũ præbuit iter Frãc. corpori, vt ſi incorporeæ menti præbuiſſet.

Obſecuta eſt vnda maris toties ſedatis tempeſtatibus, ſiue eius imperio tranquillaretur, ſiue eius precatione ſalſedinem exueret, ſiue ablatam Chriſti crucifixi ſignum æneũ Cancri chelis tenaciter apprehenſum ad littus per vortices, ſpumanteſque fluctus deuolutũ reſtitueret: ſiue naufragum firmiter apprehenſa tabula periculosè circumactum poſt tridui iactationem incolumem terrę reddiderit, quo

toto

toto tempore Franciscus alibi degens, ac laborans, clienti se inuocanti adfuit, ne careret miraculo beneficium in mari præstitum ab eodem qui alibi verè præsens iuuandis animis corporibusq; impensè vacabat.

Terra de sinu suo cadauera mox in saniem, tabemq; vertẽda eripi, ac in lucem effecri eius imperio, aut precibus non semel experta est: quæ tremore concussa eius nutu ad propriam stabilitatem redijt; quæ sudore eius madefacta, cruore respersa, vestigijs assiduo calcata, & sanctificata fuit.

Ast non in alio magis eius obsequela, ac veluti reuerentia enituit, quàm in tuendo, ac conseruando cadauere: cum enim à mortalium ceterorum corporibus tributariam corruptelam morti debitam exigat, tellus dissoluat compagem membrorum, in puluerem carnes resoluat; in Francisci corpore malignari permissa non est; Sed primum quidem in tumulo sepultum per mẽses quaternos mansit incorruptum; dein veró fossa profunda demersum, & humo obtectum, post menses sexdecim exhumatum, ne modicè quidem violatum, sed viuido colore, & succo odorato flagrans inuentum est obstupente natura tota, & virginitate illęsum suũ domicilium conseruante: conuenit autem inter vtramque pergere in mirabilium osten fione per iter illud totũ quo è Sanciano por tu Goam usque delatum est in triumphum sacrum depositum, & experta primum est vrbs Malacensis, quæ à grassante pestilentia

est

est liberata, vbi intra sua mœnia excepit mortuum, quem viuentem eiecerat incolumem.

Vt autem magis explicet Apostolus signa, ac prodigia sui Apostolatus numerat quarto loco Virtutes, quòd in illis eluceat potentia quædam à Dei omnipotentia deriuata, quæ ad omnes quidem miraculorum operationes se protendit, sed cum in eorum pluribus nihil inueniat, quod aduersetur; in alijs prauos homines, aut Dæmones obsistentes, ac reluctâtes habeat, tunc maximè virtutis, ac potêtiæ insignitur appellatione, quòd vires suas depromit, & alienas deprimit. De vtrisq; victorias retulit innumerabiles Franciscus, sed in istarũ parilitate, valde dispar fuit certãdi genus, & vincendi modus, Nequitiã, obstinationẽ, ignorantiam hominum expugnauit orationis assiduitate, concionum frequentia, hortationum feruore, afflictationum, & sacrificiorũ oblatione: stygios verò aduersarios, dominatione quadam desuper concessa, imperio, contemptu cedere compulit, & parere coegit. Adducebantur ad ipsum haud raró qui à spiritibus immundis vexabantur, & curabantur omnes.

Vix pedem in Mauri insulam intulerat, & primo sermone inuitare populum ad audiendam Euangelii legem occœperat, cum tremere, ac hiare terra, indeque erumpentes auditi stridores, ac eiulatus conquerentium spirituum. Tu nos Francisce aduris, & de nostri regni possessione deturbas. Neq; segnius irri-

irritabant animos spectra flammis præcincta per aerem volitantia forma aspectabili,quàm clamores inconditi ferientes aures, vt testes essent spectatores tam sanctitatis aduenę prędicatoris, quàm improbitatis inquilinorum perfidorum, qui de obsessorum corporibus pellebantur. Quid non clamarent miseri cũ de Regnis, ac prouincijs,tam multis fugarentur? cum sua templa dirui, Idolą comminui conspui, conculcari cernerent? cum Reges Reginasque cum suis vrbibus, ac populis eripi de sua potestate, & transire in Regnum adoptionis filiorum Dei, suis ingratijs aduerterent? nec illum lædere sui debellatorem quirent, nisi perrarò permitterentur singulari prouidentia rabiem suam magis ostentare, quàm explere, & sæuire baculis, flagellisq; ad exercendam viri patientiam, non ad perdendam vitam gentibus necessariam.

Quod si sub virtutum appellationem cadant,vel renocentur cœlestes habitus gratiæ comites, & animi decora, satis esset vno verbo affirmare illas esse Apostolicas, si quid sit esse Apostolicum dignè concipi, aut plenè calamo posset explicari: cum verò vires humani ingenij huc non pertingant,reliquum est, vt miremur Xauerij caritatem adeo grandem, vt eam non æquarent acta, quotidiana passionesque perpetuæ desiderantem, videlicet pro amore Dei facere possibilia, & impossibilia, aut pati passibilia, ac impassibilia conuersio Orientis Indici ad Christi fidem, & postmodum generis Turcarum vni-

 uersi,

uersi: denique mundi totius, & hominum, quorumlibet salus, fames erat cui obsonandæ, neque prouinciæ, neque nationes, sufficiebant. Patiendi vero pro Christo sitim non

Rom. 8. extinxisset tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, non persecutio, non gladius: quę cum animo versaret, clamabat confidenter. Plus, Domine, plus; Et quid

S. Hier. l. de script. Ecc. plus? Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium membrorum diuisioo, totius, corporis contritio, & tota tomén-ta Diaboli in me veniant, tantũ Christo fruar, cantabat Ignatius Antiochenus, & respondebet hic noster martyrij candidatus. Plus Domine plus, & tamen, quid plus his tormentorum humana, vel diabolica barbaries inferre potest? Sed nullus est diuino amori limes, nullus in diligendo modus,, non exsaturari prædis, quas inhianter cælo, quærit; non terreri pœnis, quas sitienter pro Christo appetit.

Hæc tam sublimis in Deum, & proximum, caritas chorum duxit virtutum cæterarum, quarum princeps, ac Regina est, & ad eius excellentiam illarum dignitas, ac splendor metiendus est. Sed infinitas argumenti prę clarissimi imponendi finis admonet eò tantũ spectantem, vt Apostolicum sortiatur decus, ac nomen Virginitas Xaueriana à possessore sui, quem vt Apostolum Ecclesia prædicat, ac veneratur. Neque tamen finio, nisi, & Prophetiæ, & linguarum doni strictim mentionẽ facio, quæ duo lumina in Apostolis fidei fundatoribus splendide nituere. Et primo quidẽ

futu-

futura prædixit, quæ sciri solum à Deo poterant, & cui Deus reuelare voluerit. Animorum secreta penetrauit, absentia tanquam in conspectu posita vidit, atque hæc adeo frequenter eueniebant, vt vulgo vocaretur Franciscus Antonomasticè Propheta. Et siue læta prænunciaret, vt victorias Christianorũ prosperas nauigationes, & incolumitates, remunerationes pro bonis operibus; siue tristitia, ac infausta minaretur, vt morbos, bonorum amissiones, ominosas mortes, naufragia, & id generis infortunia, euentuum nunquam fallens veritas, prophetiæ spiritu prædicta ab illo esse certo demonstrabat.

Linguarum dono assecutus est, vt à populis tam feritate similibus, quàm linguis dissimilibus, non intelligeretur modo, sed eleganter vernaculo ipsorum sermone vteretur non sine admiratione, quòd homo peregrinus eloquentia suos sapientes patriotas superaret, Et erant vltra centena idiomata regionum, quas perpeti excursione visitabat, erudiebatq; ad fidem. Augebatur verò admiratio, cum multi docti, indoctiq; ad ipsum accurrerent, & curiosius de varijs quæstionibus interrogarent, quòd cunctis vni co responso apprimè satisfaceret, ac eapropter perplures diuinitatem in miraculo agnoscentes manus dabant, & corda Christo confirmanti signis, quæ per verba ab ipso missus Franciscus vera esse demonstrabat. Quæ talia cum copiosa segere gestorum mirificorum prolixius in publicis tabulis canoni-

zationis exarantur, quarum pars præcipua recitata est coram Gregorio XV.P.M.à Card. de Monte in consistorio vbi de ipso Sanctorũ Catalogo adscribendo deliberatum est ann. 1622. Martij 12. cum S. Ignatio, & ipso miraculis claro, & hoc in primis, quod Xauerium miraculorum patratorem, & alterum Thaumaturgum precibus, industria, lacrymis, cultura, Ecclesiæ peperit, vt haberet in eo recens exemplar veteris disciplinæ, ac sanctitatis in quo spectaret, & erubesceret hæresis suam detestabilem ab illa difformitatem, gloriaretur EcclesiaCatholica in sanctis suis seque in illis agnosceret hæredem fidei, caritatis religionis à Christo Domino institutæ ab Apostolis propagatæ, à Petri successoribus in sua puritate, splendoreq; conseruatæ.



In-

I

Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius Rom. 7.

Habes ô anima mea inimicum domesticum, hostem amicum, aduersarium propinquũ, qui tibi malum pro bono reddidit; & sub specie amicitiæ crudelior existens inimicus his omnibus, & infinitis alijs bonis te priuauit. Hic hostis salua reuerentia, est caro infælix, & misera, multum tamen tibi dulcis; & dilecta S. Bonau. in soliloq.



S. PHILIPPVS NERIVS.
Virginitas adolescentiam decet, iuuentutem ornat, senectutem amplificat.

S. Philippus Nerius.

ET hoc quoque priuilegium tibi conceſſum, Roma, vt continuata à tui conuerſione ad Chriſtum, ſerie, alas in tuo cõplexu homines; qui Spiritu Sancto pleni, virtutum heroicarum ſplendore illuſtres, mirabilium operatione conſpicui, fidem tuam verè apoſtolicam illuſtrent, confirmentque; ſpuriam hæreticorum obfuſcent, ac elidant. Non abeo longiùs, vt exemplis veterum, ac recentium effatum comprobem, Ante oculos habes Philippum Nerium, quem Florentia genuit; ad litteras, ac pietatem educaſti Roma, ciuium tuorum, ac externorum educatorem, magiſtrum, Patronum habere meruiſti, Eccleſiæ Vniuerſæ nouum decus, ac iubar ſuppeditaſti. De quo vtpotè fragrante Virginitatis flore, cum aliqua verbis attigero, plurima ſenſibus complexus videbor ijs, qui non hoſpites in vitæ eius hiſtoria ſunt; pauca paucis; qui adhuc ſuperſtites de ore ſuperſtitis fluenta ſapientiæ, ac ſanctitatis potauere. In quo, vt mihi commodum, ita tibi, lector, non erit, opinor, incommodum, vel ingratum inuiſas legere, aut lectas relegere, quas olim in ſpiritualibus opuſculis noſtris inſeruimus, excellentias, & velut argumenta Duliæ erga Diuum propoſuimus. illarum.

Prima eſt electio diuina ad eminentem Sanctitatis gradum iam tum ab ineunte ætate manifeſtis indicijs comprobata.

Secunda, orandi ſtudium, & aſſiduitas ad ſublime contemplationis donum prouecta, qua cœleſtes ſpiritus mentis lumine. & affectus ardore æmulatus, totas pleraſque noctes in amica conuerſatione cum Deo, iucundiſq; colloquijs traducebat. Hinc.

Tertia, flamma illa caritatis erga ipſum vſque adeo in pectore flagrans, vt in fornacem verteret, in qua, & præcordia depaſceret, & cordis repagula loco moueret, & coſtas adiacentes penè diſrumperet, vt inſtar prodigij fuerit in tanto æſtu vitæ incolumitas, præſertim continuis laboribus attritæ. Nam.

Quarta eſt Amor pœnitētiæ vehemens, qui ad affligendum corpuſculum innoxium cōpellebat, vix, vt vnquam illi vſualem, & facilem cibum pro neceſſitate vitæ ſuſtentandæ indulgeret; ſæpe ad triduum omni penitus refectione abſtineret, præter cætera ciliciorum, & verberum cruciamenta, vt vnum ſe de illis faceret: de quibus Apoſt, ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circunferentes.

2.Cor. 4.

Quinta zelus animarum quo copioſum earum numerum Chriſto adiungere, verbo diuino paſcere, ſacramentis reficere, monitis ſalutaribus inſtruere impensè curabat.

Sexta, Miſericordia erga miſeros, qua ipſorum indigentiam larga eleemoſynarum ero gatione ſubleuabat, tam accepta ſuperis benignitate, vt Angelus hominem ſimulans ſtipem de manu eius accipere ſit delectatus.

Septima, Humilitas, & animi demiſſio,

qua

qua ſe de fæce peccatorum, & de plebe vilem homuncionem reputabat, & ab aliis reputari vehementer optabat. Hinc eſt, quod ſui contemptor, vel ſubinde ſe offerentes, vel arte quæſitas occaſiones, quàm libens capiebat. & oblatas Eccleſiaſticas dignitates, etiam ſupremas conſtanter recuſabat, maiores diuitias æſtimans honore ſæculari, improperium Chriſti.

Octaua, Caſtimonia adeo illibata, vt Virgineum decorem nunquam amiſerit; tam cautè, diligenterque cuſtodita, vt à labeculis etiam exiguis immunis fuerit; tam ardenter in alijs adamata; vt ſordes aduerſarias vel ipſo olfactu perſentiſceret, & abolere Sacramentorum vnda etiam atque etiam ſatageret. Ideoque mirum non eſt hac odoris fragrantia allectam Cœlorum Reginam ſuæ copiam præſentiæ frequenter feciſſe, ac beatos Angelos humana indutos ſpecie ad eum viſendum ventitare conſueuiſſe, & ſuauiſſimis alloquijs recreaſſe.

Nona, virtutum iſtarum cumulum, comitatæ ſunt gratiæ gratis datæ, quo pretioſiores, eò & vtiliores credentium cœtui. Prophetiæ lumine mens eius illuſtrata futura longè antequam euenirent, præuidit, & cordium ſecreta, occultaſque cogitationes penetrauit; ideoque in martyrologio Romano additũ illi ſingulare Elogiũ: (VIRGINITATIS, & Prophetiæ) dono inſignis. Aegros perplures attactu, aut prece perſanauit; nec deſuere vita functi, quos vitæ reſtituit. Vidit

mul-

multorum animas corporibus solutas inter splendores Cœlum conscendere, & Sancti Ignatij Loiolæ sui perfamiliaris frontem, vultumque radijs coruscantem conspexit; ac veneratus est, haud semel.

Decima, Inter cætera inclyti herois encomia, quæ longius persequi huius loci, & otij non est, connumeranda Oratorij institutio, quod instinctu planè diuino ad immensum Romæ, atque adeo Ecclesiæ totius bonum, ac decus, erexit, & tam aptis ad pietatem legibus temperauit, vt viris Deo sacris speculum sit sanctitatis, & morum; laicis verò fons aquæ salutaris, vnde pocula salutis hauriant; & animorum campos larga irrigatione fœcundent, vt verè dici possit, Gloria Domini plenum est opus eius. Eccl. 42.

Ado-

L

Adoleſcens loquere in cauſa tua vix ſi bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum Eccl. 32. ideſt paucis multa complectere, & in capita reuoca.

Verborum adoleſcentem, & ſtudentem eloquentiæ cum ſapientiæ ſit inanis, non aliud, quam iuſtitiæ hoſtem reputes S. Bern.l.4.de confid.ante med. Studioſum eloquentiæ vocat non Rhetorem, ſed vaniloqnum, & multiloquum, & ſciolum.

Bea-



B. ALOYSIVS GONZAGA Soc.tis IESV.
Angelica plane uita Virginitas; et qui non nubent, neq. nubentur, erunt sicut Angeli Dei. S. Bern.

Beatus Aloysius Gonzaga Filius Gratiæ Diuinæ.

COgitanti vocare seruum, imò Gratiæ mancipium propter absolutum ius arbitrij in eam translatum, vel potius ab ipsa præueniente occupatum salua libertate, venit in mentem Christi Domini consolatorium ad Apostolos alloquium, quo non ipsos modò, sed etiam futuros in longum discipulos suos affari voluit. Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Quamuis enim ex Sapientis oraculo nesait homo vtrum amore, vel odio dignus sit; & Paulus ipse vas electionis ore Christi pronunciatus nescium se suæ iustificationis fateatur; Tamen Augustino arbitro, est quidam modus in conscientia gloriandi, vt noueris fidem tuam esse sinceram; noueris spem tuam certam; noueris caritatem tuam esse sine simulatione &c.

Io. 15. *Eccles. 9.* *In psal. 149.*

Et qui gloriari hoc modo potest in Domino, habet Spiritum Dei in semetipso clamantem, Abba Pater, & testimonium reddentem Spiritui suo, quod sit Dei filius. Hunc habuisse Beatum Aloysium facilè apparebit ex contentione naturę cum gratia, & operationum vtriusque cum principio à quo manant, vt constet eas duce, & auctore spiritu gratiæ fieri, ad quas vel non propendet natura, vel suis viribus non attingit.

Et primò quidem parentem benignam festinauit agere Gratia, vbi natura nouercam se ostendebat in ipso exortu puelli: Quippe ge-

genitrix eius D.Martha Tana Santena Cardinalis Ruuerij cōſobrina,Cherio Pedeontijoppido illuſtri oriunda, precibus à B. Vigine petijt, impetrauitque conceptum prolis, quæ ſe diuino obſequio in aliquo religioſo cœtu conſecraret: Deinde verò partus tempore grauiſſimis preſſa doloribus, quibus in vitæ diſcrimen ipſa, fœtuſque vocabatur, cum medicamentis nequicquam proficientibus, de mariti Ferdinandi Gonzagæ Marchionis Caſtillionei,& Imperij Sacri Principis conſenſu,votum concepit B. Virginis Lauretanæ inuiſendæ, & infantis, ſi incolumis auras aſpiceret, opportunè ſiſtendi. Fauit de Cœlo Virgo, & Gratia ancillari ſupplici Dominæ non eſt cunctata. Prodijt in lucem puellulus,& in ipſo egreſſu priuſquam totus aluo materna funderetur, obſtetrix diuino obſecundās inſtinctui; Luſtralibus abſterſit vndis, & purgatum à labe primigenia accepit in vlnas, vt Sanctificatus in vtero dici poſſet, & ante Sanctus,quàm totus natus. Quis ſapiens non intelligit in præpeti anlis diligentiæ obſequio anticipatæ diuinæ beneuolentiæ fauorem? aut quis tam inſipiens caſui, fortunæue dandum iudicet, quod Gratiæ iam tum fuiſſe proprium auctor eius haud obſcuris indicijs declarauit? Vix ſolutis linguæ retinaculis articulare voces cœperat, & ſumma cum delectatione Sanctiſſima Nomina identidem repetebat; & quod obſeruatum à gynęceo infantię cuſtode, per aulam ſpargebatur, vt primum incedendi conceſſus vſus, colligebat ſe tenellus in angu-
lum

lum quempiam remotum ab arbitris, ibique oratiunculas recitabat,& aliquandiu flexis geniculis perseuerabt: & dum scalas ascenderet in singulis gradibus Mariam Dei Matrem salutare gestiebat. Verùm quod omnem excedit vim naturæ ab anno ætatis septimo,quo cum rationis primi radij mentem illustrant, Incipientium, ac proficientium metas prætergressus, Perfectorum, statum attigit in eoque progressus est vsque ad diem occasus,teste Cardinali Bellarmino, quo confessario vtebatur, & cui vitę suæ totius seriem Sũma cum Synceritate retexuerat; confirmantibus item alijs tam domesticis, quàm externis, quibus noti erant mores pueri impuberis, puberisque ab omni leuitate puerili alieni, & Sanctitatem potiùs, quàm grauitatem senilem redolentes. Videre hoc haud absque admiratione aulæ principales Regis Catholici, Magni Ducis Etruriæ, ac Mantuani Ducis sui consanguinei, in quibus puer, ac adolescens versari iussu paterno coactus, impressa reliquit modestiæ, prudentiæ, virtutum supra ætatem excellentium vestigia. Neque tamen animi decora cuncta peruidebant, quæ sub equestri habitu, & vestium nitore delitescebant. Reuoluentis secum quid moliatur, aut præstet quod summopere Regi, Reginæque Cœlorum arrideat, incidit cogitatio de Virginitate, quòd sit illis acceptissima: hanc Cœleste lumen comitatur; impulsus sequitur ad eam offerendam; votumque perpetuò obseruandi, & agebat

tunc

tunc annum ætatis octauum. Fructus inde manauit fomitis innati sopor, & tanta depressio, vt ne minimo quidem stimulo carnis, aut titillationi, aut turpi cogitationi locus in tota vita sit relictus. Quæ prærogatiua singularis est, ad statum angelicum gratiæ euehentis hominem, & Sanctissimæ Triadi primo puritatis fonti adiungentis, adeo concessa paucis, vt ne Apostolus quidem Paulus, qui de reuelationibus, sublimiumque arcanorum visionibus gloriari poterat, immunis
Rom. 2. fuerit à lege membrorum repugnante legi mentis suæ; & infœlicitati duceret hunc primi parentis inobedientiæ reatum in se deriuatum ad ea trahere, quæ voluntas detestabatur; Sed qui sua munera vnicuique, vt vult, distribuit Deus, adolescenti dedit quod Apostolo negauit, & in vtroque suę prouidentiæ destinata compleuit. Decebat quippe innumeris adolescentum cohortibus gymnasia Societatis per Orbem sparsa frequentantibus, hoc etiam inter alia ad contuendam castimoniam adiumentum suppeditari, vt haberet exemplum, in quo nobilitatem, ingenium, doctrinam amaret; Et angelicam puritatem admirata, vel imitaretur non lædendo suam, vel deplorando amissam; & damna eius patrocinio resarciret.

Mortificatio carnis, & animi passionum.

FOrtunatum gratiæ alumnum cui lacte eius deguſtato deſipuere naturæ oblectamenta, amara fuere ſenſuum blandimenta. Mediũ pueritiæ cursũ infeſtus diſuriæ morbus inuaſit; cui abſtinentiã ſalutarem eſſe Medici affirmarent. Mirùm quàm lætus hoc remedio, non tam ſalutis cupidine, quàm ieiunij amore, & eduliorum tædio ſit vſus. Hæc adeo imminuta ſunt pedetentim, vt obſoniũ vnico conſtaret ouo, & potus modiciſſimo vino aqua diluto: Et hoc quidem rigore exſiccata noxij humoris ſcaturigo, & ſanitas reſtituta; at ciborum parcitas familiaris reddita, & ipſorum ſapore ſuauior. Retenta igitur aliquantò laxior, aſt ieiuniorum apud fideles conſuetorum lege ſeuerior, ſtrictiorque. Accedebant afflictationes aliæ verberationũ ac ciliciorum, quorum cum copia in paterna domo deeſſet, calcaria radiata lateribus adſtringebat, quæ & ſtantem, ſedentemque excruciarent, & incedentem fodicarent, ac cruentarent. Quàm aſperè in ſe flagellis ſæuiret aduertit qui eum de oſtij rima non cogitantem obſeruauit municipij præſes; aduertit & Marchio parens, qui poſtridie cædentem ſe in ſuo cubiculo vidit, & eò ingreſſus reſperſum pauimentum ſanguine lacrymis commixto adſpexit. Frigoris & æſtus mirè patiẽs

nec ignem quærebat hyeme, nec loca frigida æstate. Relicto cubili ad orandum surgere & solo tectus indusio, nixus genibus in summis algoribus plures horas orando transfigere consueuerat, & interdum animi delitijs affluentem deliquium propemodum exanimabat. Sanè in regione perfrigida vix thermoclinijs, & stragulis arcent aeris acrimoniam homines robusti, ac vegeti, quàm delicatus adolescens semiuudus tolerabat. Neque verò rigorem hunc vitæ austerioris relaxatione consueta dynastis, aut recreatione amæniore temperabat; apage lusus, venationes, conuiuia, spectacula, quibus si adesse aliquando ex decoro, aut parentis arbitrio necesse fuerat, aliò mens auolabat, hoc est in Cœlum, vbi gratia primitias spiritus à primis annis religauerat. Augustæ Taurinorum aliquando commorantem inuitarunt nobiles aliquot viri ad aulam primarij equitis choreis, ac saltationibus ea die destinatam; transeundum erat ante Sacellum, vbi corpora Martyrum Thebæorum Solutoris, Aduentoris, & Octauij asseruantur, hic rogata à comitantibus venia mansit per aliquot horas genuflexus quoad redirent, immotus; vt mihi ijdem denarrabant, qui testes oculati, & comites viæ fuerant, quando pro ara conditoria flectentem reliquere vltra progredi renuentem. Quippe ab anno ætatis duodecimo orationis, & contemplationis donum cœlitus acceperat adeo insigne, vt maiorem diei, noctisque partem in ea insumeret, & ita cum

cum hominibus versaretur, vt Dominum prouideret in conspectuo suo semper, & profanis interesse festis mors illi, ac infernus videretur. Argumentum meditationis plurimùm redemptionis nostræ Mysteria suppeditabant; Sed inde gradus ad diuina attributa fiebat Bonitatis præsertim, Sapientiæ, ac potentiæ, ad quarum intimam cognitionem Magister Spiritus ducebat mentem lumine claro perfundens, & affectum tanto calore afficiens, vt cor in liquidissimas solueret lacrymas. Et quamquam secreti cautus, obicem erumpere conantibus opponeret; intimos tamen familiares, & famulos à cubiculo cælare non poterat, ne fletus vestigia in vestibus, in oculis, in pauimento aduerterẽt: vt iccirco curiositate ducti per rimulas ianuæ clanculum obseruarent sæpius quid ageret suus herus, vel in quo tam multas horas solitarius absumeret, & aspexere quod deinde testati sunt duodennem puerum ante Crucifixi signum prouolutum, modo manibus expansis, modò ante pectus decussatis, diu gemere, suspirare, misericordiam implorare, & mox hærere defixo in Cœlum vel humum obtutu à sensibus abstractum, vt nec cursitantes per cubiculum seruos aspiceret, neque pulsantes fores audiret: cuius rei conscij fuere etiam externi ciues, quos sparsa in vulgus fama permouit, vt curarent commodum per domesticos aditum ad pium spectaculum clam admitti, & maiora suis oculis cernebãt, quæ amplificata alieno sermone antea arbi-

trabantur. In qua tam intensa, tamquam assidua exercitatione plures horas de die precationi dabat, & noctu aliquot somno detractas in eadem incredibili consumebat cum delectatione. Hinc conscientiæ puritas ab omni labe peccati lethalis semper immunis, & cauta venialium, præter ea leuissima sine quibus humanitas nostra non transigitur. Et nihilominus vitæ austeritas tanta quantam robusta corpora ægre sustineant. Sensuum custodia adeo exacta, vt in religioso viro exactiorem non desideres, Sacramenta exomologeseos, & Eucharistiæ tam deuota, vt à Sancta Synaxi rediret hinc amore Christi flagrãs, inde terrenorum odio, contemptuque refrigescens, vt grauis ipsi esset hominum conuersatio, & permolesta quin etiam ad vitæ conseruationem necessariò corpori prestanda seruitus. In aula Catholici Regis sesquiannũ inter ephebos honorarios detentus, ne semel quidem in vultum Mariæ Imperatricis obtutum intendit, cuius pulchritudinem vt plures intuerêtur ex longinquis etiam regionibus ventitabant, vt reliqua sileantur virtutum exempla, quibus amabilem se magis an venerabilem sodalibus adolescentibus redderet, haud facile iudices: sane grauioris iudicij aulicis adeo probata fuit modestia iuuenis vt fœlicitati ducerent Philippi Principis ali in Regia Marchionem ad sua obsequia, cuius præsentia norma esset morum optimorum, conuersatio censura malorum. Et quod mirere vehementer, in paterna domo, vbi li-

libertati locum ampliorem, quàm in extera dominium auitum prębet, adeo seuerè sensum continuit in officio, vt in parentem suam fœminam pientissimam contorquere oculos vix auderet, etiam cum familiariter inter se colloquerentur.

Dum tenellus adhuc impubes Aloysius giganteis passibus ad Euangelicæ perfectionis metam contendit, S. Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanans: Apostolico nomine, auctoritateq; Prouinciam visitans Castillionē peruenit. Hunc reuerentiæ, & officij gratia inuisit, & amanter exceptus diutius præter morem detinetur, quod linguam paucis adultorum notam à puero non sine admiratione audiuit, arcanaq; pectoris confidenter aperientem mirificè dilexit, & consilia petentem opportune instruxit, ac inter cætera ad frequentem Eucharistiæ sumptionem hortatur, ac illico persuadet. Nam quæ antehac erat insolita, postmodum in vsum inducta est summo cum sensu pietatis, & præparatione, quanta posset maxima, quam fructus non impar sequebatur; & hic optatissimus, quem denarro.

Vocatio ad Societatem Iesu.

IMpletum est & desiderium piæ parentis de quo narrauimus; & filij optimi prædictio, qui non ignarus materni voti non in alium e fratribus, quàm in se ipsum casuram sortem pronuntiauerat. Statuit igitur ab Aegypti

deserto, ad terram promissionis (vti vocabat) religiosi status commigrare; Sed quem potissimum ex ijs, qui disciplinę obseruantia in Ecclesia florent, sacris cœtibus, eligeret, anceps valde in deliberatione fluctuabat, & lumen à Patre luminum postulabat. In ipsa Assumptæ Virginis festa die accessit ad sacrā Synaxim ea gratia, vt eius ope certior de diuina voluntate fieret, & ei se religioni addiceret, quàm maximè sibi congruam esse superna inspiratione intelligeret:& ecce in summo precationis ardore, veluti si sonantem auribus vocem perciperet clarè, distincteque monentem audit: Ingredere Societatem Iesu. Qui assuetus erat locutioni interiori Spiritus se dirigentis, non dubitauit huius illum auctorem esse, & liquida voluptate ab eodem fonte manante; delibutus, morem gerit hortanti, & voto se Societatis ineũdæ obstringit. Atque hæc causa fuit deliberationis arduæ, cætera incitamenta quædam fuere ad constantiam: in exequenda tuendam; vt pote quod eius Institutum florens hactenus primæuum decus retineret, quod voto ad dignitates occluderetur aditus: quod iuuentutis in litteris, & pietate instituendæ tam multis inuentis, modisque abundaret, quod tam solerter animorum saluti incumbat, & ad Indorum Ethnicorum conuersionem cohortes trasmittat insignium athletarum, qui sanguinem pro Christo fundant, & fieri posse, vt vnus aliquando istorum sit qui martyrij candidati eò mittuntur. Et horum qui-

quidem cogitatione solabatur propositum suum adolescens nondum annorum sexdecim; cæterum ne exequeretur statim, obstitere obstinatè Marchio parens, principes amici, vel affines; viri doctrinæ, ac virtutis fama clari; & ipsi tartarei Spiritus omni arte, & astu abusi, vt impedirent suo hosti bonum, quantum manaturum ex victoria præuidebant, inuidebantque; & occurrebant malo quod inferendum certò sciebant suis castris, si semel vexillum hoc castitatis, ac sanctitatis in theatris scholarum per orbem vniuersum erigeretur. Iccirco luctandum strenuo Christi militi fuit cum aduersarijs per triennium: Sed cum nullo acriùs, quàm cum parente omnem mouente lapidem vt à proposito Filij voluntatem dimoueret. Hinc terrere minis, inde blanditijs, ac promissis amplis illicere; in omnẽ se vertere pugilem, vt arcem robusti pectoris expugnaret. Sed contrà accidit, nam nati constantia, ac prudentia; vel potius Dei manus cum illo, disiectis cunctis paternæ oppugnationis machinis, victoriam retulit, ac triumphantem ad Mõtem Quirinalem deduxit, ac in D. Andreæ asceterio collocatum gratiæ magisterio erudiendum commendauit. Qui à sæculari ad religiosum statum attulit animum tam insignibus excultum virtutibus, ad quam sublimen perfectionis verticem peruenisse in eo putandus est? Si metiri hanc decet è legum obseruatione, qua salus, & incolumitas vitæ spiritalis constat, & profectus augetur, ad

mensuram plenitudinis sanctorum, nullam vnquam violasse deprehensus est regularum. Totum tyrocinij biennium, & quod insecutum est studiorum tempus meditatio rerum diuinarum,& mortificatio absumpsit. Donum orationis cælitus ipsi collatum adeo excellens, vt non solùm à communibus auocationibus quibus etiam perfectorum hominum mens obnoxia est, liber esset; sed etiam ita affixus cœlestium contemplationi hæreret, vt exijsse extra se videretur: Vel inter epulas in triclinio sedentis in sublime sic ferebatur animus, vt anagnoste sententiam aliquam de Dei amore pronunciante pectus intumesceret, vultus ardore suffunderetur tam aduertibiliter, vt sinistri aliquid suspicati adsidentes subuenire laboranti, plerumque satagerent. Si in arido vernabant rosæ, & in comestione panis sagittis diuinis cor petebatur, quid in viridi factum putamus cum statis horis se dabat in preces, & rore cœlitus pluente oppido rigabatur? Certè quidem in ægritudine postrema compertum est, vbi corporis afflictio animi functionibus haud leuiter incommodat, integram noctem in cõtemplatione magnitudinis cœlestis gloriæ ita transegisse, vt modicam horæ partem transactam arbitraretur. Potissimam occupationem vitæ, ac passionis Christi meditatio sibi vendicabat, nec abesse ab illa poterat memoria beneficentiæ ineffabilis Sacramenti Eucharistiæ à cuius sumptione horas aliquot immotus in gratiarum actione perstabat, &

hanc per dies proximos ita continuabat, vt reliquos nouæ ad eandem preparationi daret, atque ita nullus hebdomadæ dies à pia hac industria vacabat. Et hec vna alarum erat, cui perpetuus in cœlum volatus nitebatur; altera illi respondens castigatio corporis, & iugis mortificatio adiungebatur, de qua multa, & magna breui complectar, cum dixero tantam fuisse, tamque asperam, quantam esse licuit per moderatorum indulgentiam, & per immensam conformandi se Christo passo cupiditatem. Quicquid dettahere de cibo communi permittebatur in lucro reponebat, & prandia ex pane cibario, & frigida si concederentur delitię computabantur. Obseruatum non raro est à iuratis tesiibus vix vnam, vel alteram vnciam excessisse in cibo per dies cum sui iuris esset; vetitum enim cum sub alieno in religione viueret; quod facilè credent quibus experiri datum est. qualia sint interna pabula quibus Deo amata quędam pectora saginantur: neque inficias ibunt, qui absq: vllo cibatu habdomadas, ac menses integros exegisse Sanctos aliquot insignes non ignorant.
Amisisse dixisses gustum omnem edulij cuiuslibet, si conuiuam habuisses; nimirum menti superna voluptate affluenti desipiebant terrena cibaria, & cum nausea, ac fastidio sumebantur. Vice versa cilicia, catenulæ æreæ, flagra, diuerberationes. & quicquid tormenti temporis, vel hominum iniuriæ, morborumue molestiæ inferunt, tam delectabiliter

liter sorbebatur, quàm viuidè expetebatur ludus erat catecheſi rudes, ac pueros vicatim instruere; mantica humeris impoſita eleemoſynam pro pauperibus corrogare: noſocomia adire; ægrotis miniſtrare, viliora quæque miniſteria in illis promptiſſimè obire, & exiguum repræſentabat quicquid pati contingeret, vehemens deſiderium fundendi ſanguinem pro Chriſti fide, quam diſſeminare apud Nationes barbaras habebat pro votorũ ſuorum ſumma. Neque verò externa hæc exercitamenta tanti æſtimabat, quanti cultum interiorem, & ſolidarum virtutum ornamentum, cuius neceſſaria pars eſt affectionum moderatio, & perfecta ad rationis normam conformatio: ſed in Aloyſio ita ſibi gratia ius paſſionum vſurpauerat, eaſque ſibi ſubiecerat; vt intemperies nulla, motus inordinatus nullus reliquus eſſet, qui comprimeretur, niſi fortè patiendi ardor, & ſeipſum deprimendi, nimium quàm ſtudioſa, ſollicitudo. Sanè amor honoris inſitus animis à natura, & pertinaciter hærens vſque ad mortem, ne fibras quidem primigeneæ labis pœnas, in pectore illo improperiorum ſitiente, retinebat; quia ſalutare ſui odium, atque contemptus radices altiſſimè fixerat, & nec laudes iam proprias ab ingenij præſtantia, à familiæ nobilitate, à morum probitate debitas, ac delatas æqua aure ſuſtinebat; quin etiam cum indignatione quadam ſi pro ferrentur, audiebat. Contra verò opprobria, dedecora, contumelias, & quicquid huius ge-

generis malorum mundus auersatur, ac refugit; amabat ipse, optabatque vehementer: & quia adolescenti Religioso in summa veneratione intus, forisque habito, rara, aut nulla istiusmodi perferendi se dabat occasio; inueniebat ipse modum, quo illius defectum vtcumque compensaret in victus, vestitus, habitationis incommodis, deteriora, quæ in illis sunt; aut casu occurrentia complectebatur auidè, aut non occurrentia inhianter quæritabat.

Libet ex pluribus; quæ in dies dabat exempla vnicum proferre. Missus Mediolanum à P. Claudio Acquauiua Generali; quà negotij, quà valetudinis gratia, exceptus est in Braydensi Collegio; vt si Angelus de Cœlo aduentasset, & in destinato soli ipsi cubiculo collocatus; obtentu valetudinis ea solitudine indigentis. Vbi per dies aliquot in illo commoratus est, aduertitque cæteros sodales non initiatos sacris, binos, ternos associari, iniquè ferens hoc sibi priuilegium deferri, vt incomitatus commodius degeret; tam aptè superiori persuasit dignaretetur in aliud commutare, vt additis ad excogitatas rationes precibus, quod postulabat sit assecutus; & erat hoc quod proponebat non cubiculum, sed angulus domatis semotus, obscurus, teter, scalæ ligneæ, quà perpetuus descensus, & ascensus domesticorum est, subiectus rumoribus, & soricum potius, quàm hominum receptaculum; & illud tamen amatum ab habitatore suo magis, quàm am-

pla Palatia, & aurata conclauia à suis. In quo euentu Collegium illud sapientiæ, ac virtutis illustre domicilium, agnouit diuinæ prouidentiæ beneficium; vt quemadmodum Auentinus Romæ nobilitatus est tugurio, & scalarum gradibus, qui tegumen præbuere Alexio in paterna domo peregrinanti; Ita Brayda nobilitanda sit Sacello, in quod propediem vertendum est tuguriolum illud angulare cœlo gratum, vbi imminentis mortis reuelatione præmonitus est Aloysius, vt testatur imago illic appensa Angeli Caluariam obtendentis ad facti memoriam tuendam.

Eodem anno Romam reuocatus dum studia Theologiæ persequitur, & specimen excellẽtis ingenij Collegio Romano exhibet, excellẽtiora caritatis vrbi præbet laborabat documẽto, illa id temporis pestileutia, sicut, & aliæ pleræque Italiæ ciuitates; cui vt subuenirent pro sua parte nostri Patres, præter alia caritatis munera, adibant frequentes Nosocomia, & illic decumbentibus sedulo ministrabant. Datum est infimis Aloysij precibus, tristis, ac laboriosi Ministerij particeps vt fieret, quod dum ardenter obit, & horridiori cuiq; operam præstat, morbo eius inficitur, & decumbere cogitur ægritudine; quæ fuit vltima meta, & plana, expeditaque ad æternam requietem via. Sed quàm decoris illa pressa vestigijs, quàm honorificis emensa gradibus? Versus est decumbentis lectulus in aram victimis patientiæ, humilitatis modestię sacratã, & cubiculum dixisses angustum templum, vbi

vbi thimiama ardentium votorum cœlestis patriæ, & thus piarum precum, ac aspirationum die noctєq; adoleretur. Iacebat languens viribus penè prostratus, & vigore nihilominus animi præpotente languori, surgebat, & humi deiectus furtiuas horas orationi dabat, quoad Infirmarij aduentu interpellaretur. Repebat ad Crucifixi signum in mensa locatum, & osculis sacra vulnera insatiabiliter petebat: Cum verò intendente se morbo exsurgere per debilitatem, & imperium moderatorum amplius non liceret, crucifixum semper ad manum habere voluit, cum eo dulcia miscere colloquia, apprimere pectori, vlnis amplecti, admouere labris, totus in Crucifixum verti. Et quia minus ipsi compati, ac assimilari se rebatur, ni morbi molestiæ necessariò tolerandæ cruciatus adderetur aliquis spontè susceptus, rogabat Patrem Prouinciæ præsidem, vt quoniam ipsemet dimouere iam bracchia nequiret, iuberet, permitteretue flagris humeros cædi per fratrem aliquem, haud dubio, aut iussioni obtemperaturum, aut supplicanti sibi obsecuturum. Inuisebatur à multis, quia cunctis erat admirationi virtus eius, & sermo cũ illis de Cœlestibus dumtaxat, nemoque ex eius verbis, ac exemplo abibat inde non melior. Robertus Bellarminus id temporis Collegij Rector, & confessarius Aloysij, ægrè ab eius latere diuellebatur, quem non diu post à se diuellendum non ignorabat, tum quia ex morbi malignitate instare finem vitę facile

lè conijciebat; tum quia coniectnram firmabat asseueratio certum illi diem, ideſt finem octauæ solemnitatis Corporis Christi, designantis ægri, quæ planè, vt optauerat, in feriæ sextę initium incidębat, Passioni Christi Domini dicatę, quam ille incolumis intimo affectu recoluerat, & in corpore repręsentauerat.

Venit illi in mentem aliquando Bellarminum interrogare, censeret nę aliquem intactis Purgatorij flammis recta in cœlum contendere? Cui Pater, cur id de plerisque non crediderim, quos Deus è vulgo fidelium secretos, & in suam adscitos amicitiam muneribus cœlestibus cumulauit? Neque vereor, fili mi, eorum te accensere numero ob causas tibi, mihiq; compertas, obeamque potissimum, quod te à grauiori qualibet culpa hactenus seruarit immunem. Quo responso mirifice lętus de Beatorum fœlicitate medirari orsus, noctem omnem Ecstasi absorptus in suaui contemplatione, traduxit, & sensibus restitutus, mansit defixus in Cœlo, quò paucos post dieș euolauit. Munitus est Sacramentis Ecclesię, mira cum pietate, & gaudio susceptis: Benedictione insuper, quamuis non quęsita, Greg. XIV. Pontif. Max. impertitus: post suaues adstantium Sociorum amplexus inter Crucifixi oscula sacris psalmorũ hemistichijs, & nominibus Sanctis Iesu, & Mariæ, mixta intentis in ipsum luminibus placidissimè emisit spiritum, ab Angelis ad eorum coetus deferen-

ferendum, qui sequuntur Agnum quocumq; ierit i

Agebat annum 23. nondum ad sacros ordines promotus, vt planè optauerat, quod illis indignum se existimaret. dies erat 21. Iunij anni 91. supra M.D. quę celebris in sacris fastis ęternum erit. Antequam capulo componeretur corpus, dum paratur de more ablutio, inuentus est Crucifixus pectori adhæreas, quem tribus postremis diebus, vti suauissimas delitias sinu adstrinxerat; & genua callis extuberantibus conferta, quæ diuturna humi pressio extulerat. Et resecta sunt illa tubercula, ac habita pro reliquijs à nonnullis, qui vix digitorum abscissione abstinebant, ni pudor, & pœnæ timor absterruisset. Funus elatum religiosa modestia, vt cæterorum, qui apud nos sepulturæ mandantur, sed ingens populi concursus magnificum effecit. Vt enim sparsus est per vrbem rumor Aloysium Gonzagam obijsse diem, exciti ad templum viri primarij plures, vel recordatione sanctitatis, vel impulsu numinis seruum suum honorare ab illorum veneratione incipientis, osculari manus, admouere rosaria; eius patrocinium implorare: populares quin etiam plura ausi frustula vestium abscindere, capillos, & vngues euellere, extrema digitorum forcipibus incidere, carnibus, quin etiam nō parcere: & inuentus est minimus dextræ digitus duobus articulis detruncatus, quisquis ille fuerit, qui piam rapinam molitus est, miraculis sanitatum paulo post initium datu-

ram

ram: & subducendum fuit periculis maioribus corpus, ac irruenti turbæ, quà industria, qua violentia subtrahendum, & sepulcro cōdendum. Nulli ad eam diem in Romano Collegio, quantauis Sanctitatis existimatione functo, peculiaris exequiarum honos præter communem cunctis exhibitus. Aloysio visus est exhibendus, & de Claudij Acquauinæ Vniuersi Ordinis Præsidis consensu, capsæ lignea inclusus, prouidente in posterū Deo ne confunderentur eius ossa mortuorum catastæ, quę non diù post fidelium cultui sacris aris erant exponenda, & à summatibus, omnisque conditionis hominibus summa aui ditate expetenda. Incipiente Deo Sanctum suum mirificare signis, ac prodigijs honorificentius haberi cœpta, & varia translatione mutata, quoad miraculorum copia, & gloria in dies coruscante, à Paulò V. Pont. Max. Beatorum numero adscriptus est, & sacellum constructum, ornatumque eleganter ad ossium, quæ reliqua erant, partem excipiendam, vbi pia deuotione à frequenti populò coluntur, & beneficia multa, ac sanitates impetrantur, vt appensę tabulę, & splendentia anathemata, eorum indices, testantur, non Romę dumtaxat, sed alibi per orbem Christianum vniuersum; vbi arę Diuo eriguntur, & profusæ beneficentię funduntur radij varijs corporum, animorumque morbis curandis salutaris; & vulgatissima res est innumeris testimonijs firmata mihiq; comperta, oleum lampadum ante eius imaginem

ginem ardentium presens esse remedium aduersus malorum cohortes, quę mortalitatem nostram impetunt, vt Italia, Gallia, Hispania, Germania, & aliæ Europæ Prouinciæ experiuntur in dies, vt nihil dicam de Indię, ac noui Mundi Regionibus vastissimis litteris illic morantium, & Nuncijs illinc ad nos vętitantium fide haud dubia, hodieq; cognoscere perseueramus. Nimirum apud nationes omnes gratissima est lilij nostratis fragrantia, & Virginitatis amęnitas barbaros etiam demulcet, & ad sui amorem, ac venerationem allicit. Vbique verò Echo polisona responsat voci de tuba aurea Sacrę rituum Congregationis Romæ dimissæ. (Aloysius Iuuenis Angelicus.)

Sed & Martyr ab eadem proclamatur eo videlicet sensu, quo religiosa vita in rigida corporis, animique mortificatione traducta, martyrium à SS. Patribus nominatur.

Huic tam excellentis gratię copiæ quanta respondeat in cœlo gloria nobis fidei principijs innixis arguere licet; vni de sponsabus dilectis verbo in clara mentis illuminatione demonstratum est: Fuit hęc Magdalena de Pazzis Florentina Carmelitani Ordinis Sanctimonialis vitę sanctitate celebris, & dono reuelationum admiranda. Nulla abibat ipsi dies, qua non pateretur ecstases, ac raptus ad thronum Trinitatis beatificę, in quo videbat arcana verba, quę lingua eructabat, vt poterat, & amanuenses excipiebant,

vt gemmas, ne cum sonitu perirent digna cedro, & si quę est arbór cedro pretiosior.

Igitur die quarta Aprilis anni salutis sexcentesimi supra millesimum cum de more raperetur spiritu, & gloriam Aloysij cerneret, in has exclamationes erupit, quæ verbatim adnotatæ sunt, & scripto consignatæ, sicut alia plurima, quæ fari consueuerat; ita illa ad verbum; inrerpolatim.

O quam ingenti gloria fruitur Aloysius Ignatij filius? nunquam equidem tantam credidissem, ni mihi demonstrasset Iesus meus.

Mihi certo quodā modo videretur non esse tantam gloriam in Cœlo, quantam video in Aloysio.

Assero Aloysium magnum esse Sanctum.

Habemus in Ecclesia Sanctos, quos illi inferiores esse in gloria ego existimo. (Allusio erat ad sanctos quorum reliquiæ in templo monialium asseruantur,)

Vtinam totum mundum obire possem, profectó vbique clamarem Aloysium Ignatij filium magnum esse sanctum, Vtinam omnibus hominibus manifestare possem gloriā eius, vt Deus in ipso glorificaretur.

Tanta ipsi gloria collata est, quia interna fuit eius operatio.

Quis pretium, ac præstantiam internæ operationis explicet? nulla externæ cum hac comparatio,

Aloysius inter mortales degens apertum os tenuit ad conspectus Verbi, hoc est prom-

pto

pto corde,animoque immiſſas à Verbo inſpirationes ſuſcepiſſe, eaſque executioni mandaſſe:

Aloyſius Martyr fuit incognitus, qui enim te amat, Deus meus, tam excelſum, ac infinitum amabile nouit eſſe bonum,vt grauius ſit ipſi martyrium minus te amare, quàm deſideret, & quod non ameris à creaturis tuis, ſed potius offendaris,

Martyrem etiam ſeipſum fecit, aſſidua videlicet Crucis geſtatione, ac mortificatione.

O quantum Deum in terris amauit?& ideò nunc in Cœlo fruitur Deo ſumma cum amoris plenitudine.


Sagittis petebat cor Verbi adhuc mortalis, & nuuc eædem ſagittę in corde immortalis recipiuntur, quia communicationes illæ, & conſortia, quę actibus amoris merebatur iã plenè percipit ac fruitur, & hæ ſagittæ erant.

Ad amouendam verò omnem leuitatis ſuſpicionem delata ad tribunal ſacrum viſio eſt & primùm Archiepiſcopi Medicei, qui poſtmodum creatus Summus Pontifex Leo XI. fuit appellatus, iuſſu diſcuſſa, ac probata,tum ſucceſſoris eius in Epiſcopatu Alexandri item Medicei auctoritate confirmata, inſerta tabulis remiſſorialibus pro Canonizatione Florentiæ quæſitiſſimè deſcriptis, ac demum Romæ typis excuſſa anno 1636. Ac cæteroqui ſuum momentum narratio habet à teſtimonio Sanctimonialium: & ab eadem Maria Magdalena, quę vnà cum illis quæ adſtabant loquenti in raptu, Archiepiſcopo ſumma

Refertur in vita eiuſd. Beatæ ſcripta à R. D. Vincentio Puzzino p. p.c.69.

cum humilitate fassa est reuelata sibi diuinitus, quæ de gloria B. Aloysij hic descripsimus, & caruisse illusionum periculo reuelationes eius, cum aliunde constat, tum verò maximè, quòd in Apostolico diplomate, quo inter Diuas refertur, commendantur.

Testimonium hoc cœleste est, illi consonum, quod dedit sacraRomana Rota, vt retulimus; nimirum admirata singularem prærogatiuam puritatis animi, & corporis, non habuit cui congruentius compararet, quàm Angelis, & illustri titulo decorandum censuit Aloysium IVVENIS ANGELICI.



M

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus ad Galat. 5.

In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. S. Aug. in regul. 3.



B. STANISLAVS. KOSTKA.
Polonus Societ[is]. IESV.
Quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et uinum germinans Virgines. Zach. 9.

B. Stanislaus KostKa.

SI cognomen aliud Beato libeat indere, vocetur Dilectus Virginis Beatissimæ: huius nempe delicium fuit, & totæ, ac mellitæ delitiæ Regina Cœli. Dedit orbi hanc rosam amore rubentem, hoc lilium candore nitens, Hunc Hyacinthum odorem fragrantem Massouia nobilis Polonicæ ditionis Prouincia, & commodauit Austriæ; Romam transmisit Vienna Austriaci Imperij Regia: Roma post breuem commorationem cœlo restituit. In illa parentes habuit Ioannem KostKam, & Margaritam KrisKam splendore antiqui generis illustres, ac opibus pollentes, Kostouiæ oppidi Dominos; & incolas, iuxta nobilitatis morem extra vrbes degetes Ibi ad tertium decimum vsque ętatis annum quàm accurate, ac piè fuerit educatus, mores eius indicauere, vbi extra patriam studiorum causa dimissus, in exterorum sodalium cœtu versari cœpit, Viennæ videlicet Austrię, vbi ad contubernium nobilium adolescentum cum Paulo fratre natu maiore admissus; modestię singularis, ingenij, ac diligentiæ specimen constanter dedit; atque vt erat forma eleganti, ac amœna, animo compositus, ac suauis, mirum, quàm magnam inierit apud contubernales gratiam; Cum autem eorum domicilium precario à Ferdinando Imperatore concessum, aliquot post annos dissolutũ esset, quòd ędes suas Maximilianus repete-

ret, ad priuata hospitia, & plurimum hæreticorum, ob Catholicorum penuriam, diuertere coacti sunt conuictores omnes. Neque Catholicum nancisci Paulo contigit, à quo seiungi Stanislaum nefas erat. Duplex bono adolescenti in hoc hospitio erat tormentum, feruida hospitis heresis, & frigida germani fides ad mundi hilaria propensi, & malè verbis asperis, imò, & verberibus se excipientis; & maior hoc pœna; quod neutri malo mederi posset. Exerçebat nimirum Deus tyronem suum patientiæ velitationibus quem ad prælia maiora parabat. Reddebat benedictionem pro maledictis, honorem pro contumelia, obsequium pro contemptu, quia spiritu iam tum Euangelico imbutus, contumelias beneficia reputabat. Interim orationi impensè vacare, eique plures noctis horas concedere rebus diuinis interesse, oblectamenta sensus deuitare, ieiunio cilicijs mortificatione varia virgineos artus vexare. Quę tametsi in abscondito faceret, & secreta vellet; Deo tantum manifesta malens, tanto mentem eius lumine perfundebat, vt abstractus à sensibus sępè hęreret immobilis, & minimè aduertens obseruaretur à circumstantibus Ecstasis, ac vulgarętur passim in Vrbe, quod nobilissimus Polonus pateretur diuina. Idque potissimum cum sacro refectus cibo se in Christi vulnera sui oblitus abderet.

Inter hæc pietatis exercitamenta immissa ipsi cœlitus est vocatio ad Societatem Iesu,

quam

quam vbi multa precatione, & corporis afflictatione probauit à Deo esse, statuit abdicato sæculo nomen illi dare, & propositum voto firmauit. Ast ne Arcanum confessario aperiret, pudor ingenuus per menses aliquot obstabat, quoad desiderij præpotente flamma, tractare cum illo ardenter de ingressu cœpit. erant obices amoliendi, & ille in primis ineluctabilis, quod à parente facultas impetranda, & ea non impetrata; neque admissionem à Societatis Præsidibus sperandam.

In hac contentione, & ardore conficiendi negotij fixa cogitatio, & huic addita carnis afflictio, fraternaque vexatio permolesta, causa fuere ægritudinis non tam periculosæ, quàm euentis nonnullis memorandæ. Namque decumbenti obtulit se Monstrum Tartareũ sub nigri molossi schemate, oculis igneas scintillas vibrantibus, & rictu diducto, ac profundo hiatu faucium, ceu deuoraturus irruit, certè præfocaturus, si permissus à Dominatore Deo fuisset. Terrere gigantem poterat tetra illa, horrendaque beluæ species, non adolescentem in Dei protectione commorantem. Agnouit ille protinus sub habitu terrifico spiritum, cane, & angue tetriorem contegi, & sibi præsens inuocatione numinis, & signo crucis triumphalis, bestiam non semel, sed ter insilientem abegit, elusit, ablegauit.

Amœnum, iucundumque, quod sequitur. Intendente se morbo, intendebatur fames diuini panis; sed quis curasset afferri? hospes

ne

ne hæreticus: Siliquis assuetus porcorum? An frater rerum spiritualium incuriosus, & aliò distractus? Neuter horum, sed sancta Barbara suo clienti subuenire prompta. Legerat pridem in eius actis singulare hoc beneficium à Diua suis clientibus concedi; vt absq; diuino Viatico de vita minimè decedant; ideoque ab illa hora patronam sibi delegit, & eam proxima communione sacra rogauit obnixè, vt in eorum adscriberet numerum, quos tanti muneris participes sua intercessione facit. Tunc igitur venit in mentem pristinę postulationis recordari, eamque nouo feruore instaurare, euentu sanè fœlici. Nocte quippè intempesta, familia tota altò sepulta somno, vigili ægroto apparent Angeli bini clara luce corusci sacrum panem deferentes, & cum ijs Sancta Barbara, quomodo si communicaturo præsto esset, & ad diuinum spectaculum expauentem erigeret, confortaretque. Accedunt ad lectum, vnde se proripere æger ad pauimentum maluisset. Ast summa demissione animi, ac veneratione compensans, quæ non dabatur fracto ægritudine corpori, poplite inclinato, à porrigentibus hostiam sacrosanctam sumpsit, quo sensu nouerint Ministri Angeli, nobis coniectura vix assequi licet.

Et tunc quidem vitæ auctorem speciebus obuolutum sacris de manu suscepit Angelica, postmodum verò absque velamine puerum Iesum in suo lectulo à Beatissima Genitrice col-

collocatum amplexu fouere, & suauiari meruit, & conclamatam salutem momento recuperare ab eo, quem quotquot olim tangebant salui fiebant. Atque vt cumulus beneficio accederet benignissima Parens sub digressum monuit, in societatem filij sui, vt ingressum vrgeret. Additæ sunt currenti alę, & volabat incunctanter ad Religionis verticē si Prouincialis aures, animumque flectere licuisset. Sed prudentem, & cautum incommodorum præuisorem, haud obsequentem habuit infimis precibus suis. Quid faciat miser candidatus? confugit ad opem Deiparæ Sanctissimæ; ac inter precandum venit in mentem Franciscum Antonium Lusitanum Sacerdotem clari nominis, & doctrinæ Ecclesiastem id temporis in aula Maximiliani Cæsaris ad Hispanos Italosque, qua erat linguarum peritia, agentem, conuenire, & de sua vocatione, voto; & difficultate à P. Prouinciali sibi opposita certiorem facere, si fortè modum illam superandi suggerat, vel consilium in maxima ambiguitate pro sua prudentia præbeat. Facile aduertit vir sapiens, cui iam nota erat adolescentis virtus ex aliorum sermone, agi illum Dei spiritu, & ardorem ingrediendi societatem in corde ipsius succensum ab illo, qui ignis consumens est; & animasse tum contentus ad benè sperandū, in aliam diem responsum distulit, quo Deum ipse precibus consuluisset. Stetit promissō, & redeunti Stanislao suasit adire Canisium Prouinciæ Superioris Germaniæ moderatorē,
&

& eo recipere inter suos renuente, in Italiam ad Franciscum Borgiam Generalem Romæ degentem se conferre: fieri vix posse quin alteruter ex ijs Dei seruis, agnita vocationis excellentia, post habeat turbarum periculis diuinum placitum; & eo fortasse minorem fore inuidiam, parentumque indignationem, cum intellexerint post longæ peregrinationis labores extorrem adolescentem conuictu, & religione donatum. Arrisit Stanislao consilium, & capta, quam asperitas fratris offerebat occasione, deposito honesto habitu, viliorem rusticano affinem induit, & summo mane audito sacro, & Eucharistia sumpta firmat prius emissum votum, & viæ se mandat, certus non redire in patriam, & tamdiu peregrinari, donec inueniret locum à Deo sibi paratum in Societate: Viaticum illi spes in Deo, comites virtutes, dux Angelus, & Sancti tutelares, iter arduum, & facinus audax suo fauore prosequentes, vt indicijs minime ambiguis declaratum est. Statim enim ac apparere Viennæ Stanislaus desijt, frater & hospes transfugio cognito, seu ex litteris à fugiente relictis; seu ex Maga hæretico indicante viam, quam inierat, vt creditum est; Extemplò curru equis Sagitta velocioribus tracto insequitur cumque propius abessent à loco, quò diuerterat peregrinus; consternati equi concidunt, nec flagro, clamoreue se propelli vltra patiuntur; stupet auriga hactenus nihil tale expertus in bestijs suis; mirantur & Vectores, ac horrore pleni Vien-

nam

nam vnde venerant, reuertuntur. Persequẽti interea suum iter Stanislao contigit in templum à Luteranis obsessum ingredi, cui forma hactenus externa manserat priscæ catholicorum non absimilis. Hic cum refici diuino pabulo expeteret, responsum habuit quale ab hæretico expectari, & angere vehementer famelicum poterat. Porrò suam sortem dolenti, & desiderio recipiendi Christum æstuãti, rursus vt olim ægrotanti; bini Angeli in iuuenili specie conspicui cœlestem cibum porrexere, quo mirificè recreatus tandem Dilingam vbi Canisius attinebatur, peruenit incolumis. Huic litteras Viennæ à Patribus acceptas dedit in manus, quibus de conditione, virtute, vocatione ad omnem leuitatis suspicionem auertendam præmonebant; tametsi indoles ipsa, & quædam in vultu, ac sermone emicans pietas, ac sapientia validius testimonium erant ad fidem faciendam Spiritus in purissima illa anima diu inhabitantis, & ad sublimia prouehentis: Neque tamen prudentiæ duxit Canisius illum statim tyronum numero adscribere, aut habere delicatè, vt ætas, ac educatio nobilis postulabant; Sed altiora spectare suetus, consultiùs fore arbitratur ad probandam constantiam, virtutemque vernilibus officijs in conuictorum hospitio tantisper addicere, dum tempus quid agnati mouerent, ostenderet, & candidatus crucis mortificationi paulò post in tyrocinio obeundæ, paulatim assuesceret. Huic oneri humeros, viresque corporis & animi tam prom-

promptè submisit, vt si Regi cuipiam opera præstanda esset, & tanta hilaritate, diligentia, studioque, vt in munium vilitate splenderet nobilitas seruientis, & domesticorum oculos, ac amorem ad se pertraheret, & nihil iam desiderari videretur quò minùs tyronum Prouinciæ Germanicæ coronæ, tanquã monili insereretur. Sed debebatur Romanæ ex æterno decreto, & Canisij consilio, eò propendentis, vt amoliretur pericula, rumoresque ab affinibus impendentes: & libentissimè Stanislaus ibat, vt longiùs abesset à Domo, & cognatione sua, & propius à terra Sanctorum, idest Romano solo Principum Apostolorum, & Martyrum innumerabilium sanguine irrigato. Cum duobus ergo sodalibus Romam dimissus totum illud iter pedes emẽsus, eò peruenit oppidò fessus, sed tanto cum gaudio, vt defatigationem delicatos artus & ante hac illam non expertos prementem, comprimere ipse maluisset, quàm fateri. Sed ægrè dissimulari potuit, quæ vultui, oculisq; inerrans se prodebat lassitudo. Ideoque vt conspectus à Borgia Generali fuit, ac auditus, humaniter primũ exceptus, tũ quiescere ac recreari iussus quoad vires ex lõga peregrinatione mille ducentorum milliariorũ Italicorũ quassatas reficeret. Interim vir sanctus, & singulari probandorum spirituum dono præditus; non ex litteris modò Canisij; sed ex peculiari mentis illustratione nouit Stanislaum adolescentem esse Deo in paucis dilectum, & à turba mortalium ad excelsa electum. Itaque vt recrea-

creatum vidit à labore quinto Cal. Nouemb. anno 1567. die SS. Apostolis Simoni, & Iudæ festo, ad tyrociniũ admisit incredibili sua, & domesticorum lætitia, quæ cumulata est, vt explicare cœpit radios suos virtus non supra ętatem modo tyronum; sed supra vulgarem sanctitatem veteranorum corusca.

Vt erant initijs illis tenues prouentus, & incommoda habitatio sociorum in Vrbe, non capiebat domus vna Nouitios omnes, quibus numero non exiguo, insignes naturæ, ingenijque dotes, vel ornamenta alia, aditum vulgo obstructum aperiebant. Aliqui in Professorum ædibus ad S. Mariæ à Strata, in collegio Romano aliquot, maior pars ad S. Andreæ in Quirinali sub suo quique Magistro ad religiosam vitam instituebantur. In ijs tribus domicilijs fundamenta perfectionis non tam iecit, quam iacta olim in sæculo ita promouere perrexit Stanislaus, vt consummarit in breui. Verùm postrema probationis palæstra domus Quirinalis fuit. Communia illius documenta sunt orationis, ac mortificationis assiduitas, cultus interior quæsitissimus, grauitas morum, silentium, tota denique exterioris, interiorisque hominis reformatio. In quibus omnibus cum Stanislaus excelleret, & præiret cæteris, aliqua insuper collata ei sunt diuinitus, quæ aliorum nemini concessa; puta summa in orando attentio ab omni prorsus euagatione libera, & tanta cum dulcitudine spiritus coniuncta, vt totus in Deum colliquesceret,

qui-

quin imò quod cælari nulla ratione poterat; ita sæpe incalescebat ardor pectoris, vt temperandus linteis frigida madefactis esset, ne cor nimio æstu suffocaretur; Idque haud semel à se factitatum narrauit mihi Pater Leonardus Magnanus Taurinensis eius cum connouitius, & Valetudinarij curatoris adiutor. Atque hæc quidem fœlicia incendia horis meditationi sacræ destinatis pati solitus erat; sed alijs quoque extra illas continenter de Deo cogitabat, & veluti naturali impetu absque vllo labore suauissimè in ipsum ferebatur. In procliui est existimare tanta, tamque pretiosa munerum fluenta à Christo capite per aureum Beatissimæ Genitricis aquęductum in Stanislaum manasse; cuius in illam amor ac teneritudo non alteri similior, quàm filij aduersus matrem, & matrem sæpe medullitus vocitabat. Huius reuerentia, & obseruantia ab æstimatione metienda, quam cognitio excellentiæ Dei parentis; & Cœlorum Reginæ pariebat. De ipsius celsitate frequenter cogitare mel erat cordis: de ipsius clementia in genus humanum loqui nectar erat in ore; & cum sensus intimos magnificis verbis exprimeret, lepor nescio quis fluebat è labijs, quo veluti lacte inspergebatur sermo, & recreabatur auditor: Ingenium in inueniendis ipsam colendi modis exerebat, inter quos vnum gratissimum putabat varias obire mortificationes in memoriam earum, quas sui amantissimi Iesu pertulit passionum, vt hoc etiam nomine amplior illi potestas à

Ma-

Magistro fieret consuetas augere corporis afflictationes, quibus fræna laxabat auidè, quomodo si pristinæ culpæ essent expiandæ, à quibus nihilominus immunem diuina gratia præseruarat, à lethalibus videlicet omnibus, à leuioribus etiam ex parte maxima; sed solenne diuino spiritui est per lacrymarum, & afflictionum vada in portum perfectionis eos prouehere, quos per salsas sæculi vndas incolumes, ac puros scelerum, ad læta Religionis littora adduxit, maioribus donis cumulandos. Ideo cohibendus erat ardor celebres pœnitentes æmulantis, & pro innata generositate assequi posse cum diuina gratia existimantis. Neque tamen eò se abripi patiebatur, vt genus mortificationis vllum inconsulto moderatore subiret, quia obedientiam, & Instituti regulas amussim actionum suarum fecerat, à qua ne latum quidem vnguem aliquando deflecteret. Optabat vehementer vt religiosi status excellentia à mortalibus suo momento penderetur, vel eò maximè quòd Paradisus quidam est bonorum spiritualium thesauris redundans, & perpetua Numinis laudatione, ac seruitute procul à mundi contagio cœlestem Hierusalem referens. Loquebatur de hoc beneficio tam sapidè, tamque iucundè, vt nec lacrymas ipse sistere posset ex intimo sensu eliquatas; nec audientes dissimulare gaudium, quod sua eloquentia pariebat, humilitatis præsertim condita sapore, qua se ineptum Societatis Nouitium, & Angelorum, vti appellabat

cœtu, quibus cum versabatur, indignum sua æstimatione reputabat. Ast æquiori fides habenda arbitrio, virorum sapientum, & grauium, quibus nota erat, penitusque perspecta adolescentis conscientia, & profusa in ipsum diuinæ largitatis beneficentia. Horum, quippe haud hæsitans opinio vna erat, apicem virtutum Stanislaum attigisse, & deesse nihil quod in ipso desiderarent, superesse plurima quæ mirarentur. Reliquis etiam admirationi erant quæ singulariter elucebant in ætate iuuenili, prudentia in dictis & factis, mixta hilaritate maturitas, & splendens interdum in vultu nitor, nonnullorum oculis conspicuus, internæ lucis index, qua mens eius Patri luminũ arctissimè iuncta radiabat.

Ah quàm cito, amæna Paradisi vireta, ab horto Quirinali vestrum flosculum repetistis? Sed benè est quod super mortalem eius partem terris relictam roratis hactenus & vestri iuris, vestræque curæ sacras exuuias esse ostendere perseueratis. Post decem mensium euolutum circulum à die qua tyrocinium inchoauerat, obijt Stanislaus, vel potius abijt ad Virginum, sequentium Agnum, cohortem, annis immaturus, merito ac sanctitate longè maturior. Piget vocare mortuum, quem non vexauit infirmitas, non cruciauit dolor. non affecit tristitia; Non funesti libitinę nuncij terruere. Leuis quædam commotio in S. Laurentij die festo, quem menstrua sanctorum sortitio patronum per Augustum obtulerat, tentare cępit, & paulatim, in

in febrim migrauit; Sed ita leuem, vt non nisi de ridiculo mors timeri ab ea videretur. Ipse tamen serio bis, terque disertè pronunciauit fore illam vltimam, quæ spiritui in cœlum anhelanti aditum factura erat. Ea propter optare se vehementer etiam atque etiã sacris omnibus Mysterijs, ac precibus communiri, & impensè flagitare, vt liceret humi abiecto ea suscipere, & sic aduentum sponsi præstolari, in eiusque sinum exhalare spiritum: negatum id primum à Rectore fuit, sed iteranti preces eatenus indultum, vt pauimento culcitra sterneretur, & solatium hoc postremum ad superna cubilia properanti concederetur Dominum Maiestatis, quem Angeli procidentes adorant sub speciebus latentem, quanta posset humilitate animi, & abiectione corporis venerari. In eo situ vt Sacerdotem conspexit sanctum panem præferentem, exultauit spiritu, & pallore faciei in purpuram verso, refloruit caro eius, vt qui ad præsentiam amici longè optatissimi medullitus lætantur, ac hilarescunt. Exiguũ quod supererat spatium inter preces, & pia cum cœlitibus colloquia traduxit, cum Crucifixo potissimum, cuius effigiem manu tenens, & oculis iucunditatem spirantibus osculis impertiebat, à plagis sacris pedum exorsus veniam peccatorum ceu si grandia patrasset apprecans; tum ad manus progressus de beneficijs, & singillatim vocationis ad Societatem gratias agebat, ad latus verò descendens cor suum in illo reponebat, & in manus Domi-

mini commendabat spiritum suum. Secundùm hæc oblatam, quam colere sanus consueuerat, Sanctissimæ Virginis imaginem exosculatus, vt mater esse in ea hora dignaretur, intimè deprecabatur. Inde ad alios cœlites conuersus præsertim ad eos; qui singulis mensibus in consueta apud nos sortitione obtigerant, patrocinium omnium implorauit. Tandem altera manu Rosarium cum granis piacularibus, altera accensum cereum tenens leniter inter Sanctissima Iesu ac Mariæ nomina expirauit, non aduertentibus, qui adstabant, migrationis momentum, quod perseueraret viuidus in ore color, & in oculis vigor, nitorque venustas in vultu amænè renidens, vt pateret non tam morbi vi raptú, qui nũquam periculosus à peritis medicis erat habitus, quàm cœlestis Agricolæ amica manu collectũ qui gratificari Reginæ Matri voluit, & eius Assumptionem flosculi sibi amati donatiuo decorare. Excessit tertia hora post mediam noctem, qua ex probabili creditur olim ad Beatissimæ Virginis tumulum descendisse Christum; & comitantibus Angelis in Cœlum assumpsisse; & increbuit rumor haud ex vano ad ipsum pariter non tam in agone positum, quàm in placida expectatione, & suaui collocutione cum aliquo sibi tum apparente, ad quem hilarem, serenumque oculorum intuitum & suorum labiorum motionem dirigeret. Funus elatum magno concursu nostrorum, ac externorum, quos fama sanctitatis Nouitij ad D. Andreæ exciuit.

Cor-

Corpus in arca lignea præter ordinarium morem Societatis conditum, per annos plures integrum, ac incorruptum seruatum à Virginitate, insecutæ reuelationes gloriæ obeunti statim collatæ, & miracula non pauca, quibus permotus Clemens VIII. Pont. Max. peculiari diplomate Beatum vocauit, ac Indulgentiam certam in die obitus concessit Sacellum Beatissimæ Virginis in Polonia inuisentibus: quæ prælusio apotheosis est habita, & incitamentum Paulo V. successori, vt facultatem faceret exponendi Iconem publico cultui in templo Diui Andreæ, cum tabellis votiuis, & lampade, ac facibus collucentibus; indeque manauere initia celebritatis quotannis repeti solitæ solennioris sacri, & Vesperarum de tempore, magno cum populi concursu, & quod maius, Venerationis Beati per orbem Vniuersum, ac præsertim per amplissimum Poloniæ Regnum; fauetque numen piæ, ac generosæ nationi, quæ digna facta est vt videat renouata suorum sanctorum priscorum miracula; sui ope Beati in dies patrata sanitatum adeo multarum, vt diligenter adnotata, & perplurium testimonio, ac iuramẽto firmata in magnum volumen sint congesta, à sacra rituum Congregatione opportune discutienda, cum Sedes Apostolica votis, ac precibus nationum canonizationem postulantium, indulgendum iudicabit.


S. PHILIPPVS

N

In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. 7.

Consideratio huius sententiæ destructio est superbiæ, extinctio inuidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, euacuatio vanitatis, & iactantiæ, instructio disciplinæ, perfectio sanctimoniæ, præparatio salutis æternæ. S. August. in spec. peccat. c. 1.



IOANNES BERCHMANS

Florete flores quasi lilium et date odorem et fron,
dete in gratiam. Eccel. 39.

GRates vobis ex Roma horti Floriferi Flādro Belgij, qui collibus eius apricis, amænis, manu cultis, arte expolitis, lilium recens candoris insoliti, venustatis amabilis, odoris super aromata fragrantissimi transmisistis. Ioannes hic Berchmannus est Flandro Belga vester, educatione noster sanctimonia cœlitum; cuius vita fusius ab ijs conscripta; quibus cum familiaris conuersatio, fidelissimæ narrationis causa fuit, hic veluti monogrammate proponitur, ne penitus ignoretur à lectore, cui non contigit historiam lustrare suis distinctam capitibus, & coloribus exaratam. Scripsit vitam P. Virgilius Cepárius.

Natus est Diesthemij Brabantiæ oppido in Belgis III. Id. Martias anno 1599. die Sabbati Ioanne, & Elisabetha Houia parentibus honestis, & pietate magis, quàm opibus claris. Ioannis inditum nomen ad lustrales vndas, siue vt auum, ac patre eo referret; siue vt Elisabethæ fieret satis, cui voluptati erat suum Ioannem habere Præcursori cognominem: siue in destinatis diuinis fuerat appellatio hæc, magni vtriusque Ioannis Baptistæ, & Euangelistæ Virginitate sacrata, & tertij huius imitatione decoranda. Habitum pro futuræ lenitatis, & mansuetudinis indicio, quod infantiam fletus immunem pueritiæ, & hanc adolescentiæ à leuitate alienam, rudimentis grammaticæ cultam, & supra quàm expe-

ctaretur à puero pietate imbutam transmiserit: argumenta sunto, quod septennis adhuc eijcere se lecto festinabat summo mane vt binis, ternisue sacris ministraret, vt proficiendi in litteris opem à Deo impetraret; quod vndennis obtenta facultate à religioso viro Magistro, & hospite suo ad sacram Synaxim accedendi, tanta cum diligentia, ac studio se comparauit, tanta cum deuotione os, & cor intranti Domino aperuit, excepit, gratias egit; vt Angelum spiraret vultu natura formoso, & gratia tum decorem augente, supra humanum elucente. Fructus hinc emanauere perplures, confessio piacularis singulis saltem hebdomadis obita: donum orationis eximium meditandæ passionis Christi Domini non ab vllo hominum, neque per hominem, sed Deo docente acceptum. Insignis affectus erga Beatissimam Virginem, & varia ad ipsam colendam inuenta: vanæ conuersationis fuga, vt otium, quod animi relaxationi, & lusibus à condiscipulis dabatur precibus, ac litterarum studio impenderet; quod absque eorum offensione fiebat; siue quod illi virtutem in puero suspicerent; siue quia ipse morum candore, & amabili simplicitate animos omnium demeritus, obtrectationibus ex singularitate cæteroqui manaturis occurreret; id adnotatum à pluribus, cum iam grandiusculus in Collegio nostro Mechliniensi Rhetoricæ daret operam, à nobili iuuentute in honore habebatur, & ad consuetudinem, ac familiaritatem expeteba-

batur, vt libentiſſimis iccirco animis in ſodalitium Beatiſſimæ Virginis obnixè id contendentem admiſerint, Neque minùs carus erat Canonico Cathedralis eiuſdem Ciuitatis cuius contubernio vtebatur, quem colebat, vt Dominum; amabat vt patrem, & à quo ipſe vice verſa amabatur, vt filius, non modo ob indolem animi in pulchro corpore nitentem; ſed ob inſignem pietatem; quæ communes adoleſcentum; etiam proborum metas prætergreſſa videbatur. Auxit opinionem dilectionemque caſus inſolitus, ac memorandus.

Ibant vterque ſimul ad Virginem Aſpricollenſem, errauere à regia via in ſemitas latronibus infeſtas, cum ecce repentina tempeſtas fulmine, ac tonitru horrida viatores exterret ac penè exanimat. Canonicus confugit ad opem tutelaris Angeli ſui comitis: deuoluitur de præcipiti rupe ſaga, quæ mox in felis figuram verſa ad pedes Ioannis aduoluitur, & oblique eum contuita, ſubitaria fuga ſe proripit; & videri deſinit: ceſſat tempeſtas, inſequitur ſerenitas, & vertex turris Aſpricollis apparet: Canonicus acceptum beneficiũ ab Angelo; cui ſe commendarat agnoſcit, & inconditam illam volutationem ad pedes Ioannis, haud dubium argumentum ſuæ interpretationis; & Angeli aduerſus ipſum beneuolentiæ profitetur: & ſanè familiaritas, ac ſeruitus, quæ contemptus plurimum mater eſt, æſtimationem, ac amorem Ioanni peperit, qui tametſi cælare interna bona cautè ſtu-

ſtudebat, cœlari externa haud poterant, promptitudo ad obediendum, modeſtia oculorum, linguæ cuſtodia, in victu temperantia, in ſtudendo diligentia, Sacramentorum frequentia, & in ijs omnibus perpetua frontis hilaritas procul omni leuitate, præter cæ-rera ſuo confeſſario duntaxat nota, oratio, humi cubatio, afflictationes corporis, in quibus excogitandis ſeruor ſpiritus acumen mentis erat, vt ſecretos cruciatus in publico clam omnibus ſubiret, qualis erat qualibet ſexta feria in ſacratiſſimę paſſionis memoriam, ſuccisis calceorum ſoleis incedere, & ſub veſperam varia ſtationum loca obire fallente oculos alienos ſuperiori tegmine, ac inferiores plantas interim ſaxorum aſperitate, & offendiculis alijs cruentantibus . . . .

A lectione etiam piorum librorum ſibi familiari pabulum pietati parabat eò gratius, quo iucundius ad cor legentis loquebatur Dominus, & erudiebat in lege ſua. Plura, quæ habet S. Hieronymus in ſuis epiſtolis de mũdi vanitate ad religioſam vitam ineundam impellebant. Quę de Beato Aloyſio Gonzaga à P. Virgilio Cepario ſcripta ſunt auidè percurrens inflammari ſe ad eius imitationem in Societate, ſentiebat; vt etiam exploraret diuinam voluntatem, auxit aſperitates conſuetas, addidit preces prolixiores, bis in hebdomada ſacrum panem ſumere inſtitit; vigintiquinque florenorum peculium ad vſus occurrentes ſeruatum in tres partst diſtribuit, vnam pauperibus erogauit; alteram Loua-

nium

nium misit pro certis sacris ad D. Petri aram maximam faciendis; Tertiam pro totidem Missę sacrificijs in æde Beatissimæ Virginis Aspricollensis assignauit. Haud potuit non exorari obsequijs Deus, quippe tam incitatā ergà Societatem Iesu propensionem immisit, vt non modò fructus quos in Belgio secretos colligit vberes incitamento essent, sed & labores, & quas patitur persecutiones ad eam amplectendam impellerent: quod in ijs perferendis singularem quamdam similitudinem cùm suo auctore agnosceret. Non solùm igitur nomen illi dare constituit, sed & voto propositum obstringit; & quæ illi exsequendo sunt opportuna prudenter exquirit, & inuenit. Consensum in primis, parentum per litteras exposcit; ast illi cætera probi, ac pij, spem domus hoc ingressu excindi, & filij longè suauissimi consortio spoliari se ægerrimè ferentes, adnisi sunt omni conatu apud se retinere. Nec defuere cœnobitæ, qui rationum momentis agerent, vt scrupulum inijcerent inobedientiæ Deo exosę, si parentibus, quos ille iussit honorari, immorigerū se preberet; afflictos, desolatosque relinqueret. Quos ille laqueos stupeos reputans, nullo negotio contriuit, ac tandem omnibus difficultatibus superatis euolauit ad montem Dei, & in tyrocinio Mechlinensi admissus est, 8. Kal. Octobris anni 1616. ætatis 17. cum dimidio, non minori suo, quàm domesticorum gaudio, ad quos fama adolescentis virtutis, ingenij, ac excellentię inter Rhetores pri-

pridem peruenerat; sed quæ augere haud raró vulgata solet fama, deprehensa est minimè æquare præstantiam, quam consuetudo, ac familiaritas maiorem ostendit, quàm illa sparserat. Statim enim se prodidit, non indoles modò planè aurea; sed pietas qua veteranos etiam anteibat. Nihil illo humilius, nihil ad parendum promptius, nihil in tota familia gratius, siue cum superioribus ageret, siue cum inferioribus versaretur. Silentij obseruator seuerior ne esset, an cautior in loquendo haud facilè iudicabant, qui neutram de ijs apud nos legem violatam ab eo vnquã animaduertere: nimirum cui cum Deo loqui & loquentem audire summa voluptas erat, illibens humanis colloquijs aurem commodabat: inuitus in plura verba, quàm opus esset linguam laxabat; & quia statis à refectione horis confabulatio ad fouendam caritatem, sanitatemque conceditur, sermo ipsi semper de diuinis, &, frequenter eò collimãs, vt audientes ad cultum, ac amorem Beatissimæ Virginis, & Virginei Sponsi Sancti Ioseph induceret. Præter tempora orationi, examinibus conscientię, lectioni, sacri auditioni in communi designata, inueniebat ipse sua industria otij quidqiam liberi ad peculiares quasdam exercitationes obeundas, inter quas hęc eximia: septies quotidie Sãctissimum Eucharistię Sacramentum inuisere, ac adorare, & pia lepiditate B. Aloysium Gonzagam In discessu, sui loco relinquere, dum sibi pèr occupationes à Sancta obedientia pręscriptas redi-

redire liceret, ijs enim adesse potius ducebat quàm propria voluntate susceptis, etiamsi alio qui sanctis; præsertim cum in actione qualibet Deum ante oculos haberet, eique placere studeret: quem ad finem ephemeridem quandam sibi confecerat, in qua diei totius actus distribuit, modumque id præstandi descripsit; & auditus est aliquando asserere iugem hanc cum Deo familiaritatem imperfectionis cuiuslibet vitandæ esse remedium opportunum. Certè quidem factitari à se quod dicebat gemino documento constat, quod viris grauibus, ac maturis satis esse videatur ad iudicandum Ioannem non modo gradum; Incipientium tyronibus congruum attigisse Sed & proficientium superasse, & ad perfectorum peruenisse: quippe cui Gratia diuina dederat alas, ad culmē perfectionis facilè euolandi. Alterum fuit nouitiorum omnium (& erant ij vltra centenos) testimonium nihil omnino reprehensione dignum in eo adnotare valentium: cum enim maximopere cuperet publicis reprehensionibus coargui, & exagitari, ac sua errata acriter coram alijs aperiri, domus præses tyronum Magister iussit omnibus in scheda descriptos Ioannis defectus ad se deferre; & illi quidem morem gerentes schedulas attulere; Cæterum in ijs ne leuis quidem noxa, vel næuus morum inuentus, cuius argueretur; quod magnum esse obseruationis regularum omnium, hoc est religiosæ perfectionis argumentum norunt quibus perspectus est tyrunculorum genius

nius ad suspicandum, iudicandumque pronus, & oculus censorius ad minima quæque obseruanda; & nihilominus ex tanto numero, licet dato ad cogitandum spatio, nullus quidpiam in quo laberetur nancisci potuit. Alterum non minoris faciendum est patrum grauiorum iudicium, quibus insuper voluptati fuit virtutes eius perpendere, quarum actus perpetuò in oculos incurrebant; cumq; eas cum Sanctorum, quorum perlegerant vitas, actionibus contulissent, affirmauere nullam illi quidem ætati, statuique debitam virtutem in eo desiderari, quod omnium specimen non ex ardore quodam iuuenili, vt Nouitij assolent; sed ex altè fixa radice habitus infusi, & luminis prudentiæ annos superantis emanans edere non cessaret, vt ex tota ipsius conuersatione omni loco, & tempore liquido constabat. Verum instar omnium est Instructoris eius viri sapientis, & in paucis religiosi, encomiũ Ioannis superstitis in litteris ad vitę scriptorem exaratum in hęc verba, Ita, inquit, semper existimaui atque etiam nunc existimo perpetuò eum respondisse gratię vocationis absque omni remissione, aut defectu; semperque inter nos sanctissimè vixisse.

Profectò omnium nostrum, qui cum eo viximus, quique eum nouimus vna semper fuit sententia, vitam inter nos duxisse Angelicam, magna animi innocentia, agendi modestia suauitate morum, admirabili honestate, tranquilla viuendi ratione, rerum auspicatarum con-

constantia, absoluta obedientia, promptitudineque in seruiendo, singulari prudentia, excellenti feruore spiritus, continenter ob oculos posita præsentia Dei instar Angelorum, qui perpetuò sunt in conspectu Domini, verbo vno complectar plurima si dixero Benedictio Domini super caput eius, elegit eum Dominus ex omni carne, electo verò dedit præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, circumcixit eum Zona Iustitiæ, dirigens in exacta religiosæ vitæ obseruatione, & deinde magnificauit eum, & saluum fecit eum, & induit eum Dominus Coronam gloriæ &c. Ex quibus manifestè apparet haud falsum fuisse eumdem patrem, quando candidatum Societatis examinari à se opportuit de vocatione, ac requisitis ad ingressum iuxta morem, & præscriptam de iis formulam; testatur quippe visum sibi in primo illo congressu cum Angelo in humano corpore colloqui, & talem reuera à se inuentum, vbi iam admissi conscientiam intimè nouit, non absque admiratione ex insolita, & larga benedictione Dei ipsi impensa quæ vsque ab incunabulis in purissimum sancti Spiritus habitaculum formauit, ornare in tota vita non destitit.

Anno salutis 1618. coronidem tyrocinio imposuit votorum Religiosorum emissione VII. Cal. Octobris, & Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumptione, qua præmissa præparatione conijci ex præterita narratione potest, quo sensu pietatis, & amoris vehe-

inentia erga Deum ipse nouit, qui largitus est cordium scrutator Deus. Inde Romam ad peragendum studiorum cursum dimissus, collegia cuncta per quæ in itinere diuertendum fuit odore sanctitatis afflauit ita suauiter, vt plerique Rectorum rem christo caram facturos se putauerint, si Generali Præposito, & alijs quibusdam amicis id litteris significarent. Laureti in primis vbi quiescere biduo licuit cum deliciari clamculum putaret, sua se cautione prodidit. Nocte quippe natalem Domini diem antecedente, quamuis viarum longarum fatigatione fessus, & quietis egens, obtinuit nihilominus à loci Rectore facultatem surgendi maturius, vt precibus, cæremonijsque ritu solemni peragi in æde sancta solitis, interesset; ibi in angulo minime obseruabili tutum se ratus ab oculis circumfluentis turbæ, nixus genibus luminibus submissis, immoto corpore, veluti extra se raptus, dum longas moras orando trahit, hominum conspectum vitare haud potuit, iudicia fallere potuit existimantium vnum quempiam principum esse, qui ementita veste cælare nobilitatem vellet, quam facies decora non celaret. Porrò ipse diuinioribus intentus in eodem perseuerauit situ quoad audito sacro ad sanctam accessit synaxim, & sinum rursus cœlestium consolationum imbri aperuit, eoque delibutus maluisset in eodem sacello viuere, ac mori, ni necessitas aliò auocasset, & obediencia Romam properandum monuisset. Quò vt peruenit beneficij quidem sin-

singularis loco habuit, & non promiscuè cõcessi, in Collegio Romano Sapientiæ, & sanctitatis theatro, cum florentissimis adolescẽtibus ad Philosophiæ studia admitti; Sed & in ancipiti fortè est, imò extra dubium est, maius acceptum à Collegio, quàm datum beneficium, quòd velut Angelum sub humanæ carnis schemate in suo complexu fouere, aleréque meruit, in cuius, vel vnius viuentis imagine expressum vidit perfectionis planè præcellentis exemplar; quod S. Ignatius in suis constitutionibus Dei digito, vt Pauli III. P. M. oraculi verbis vtar, perscriptis, & ex functi corpore, quod adseruat, prodire sentit viuas desideriorum scintillas, quibus alumnorum suorum pectora ad sequenda recens pressa vestigia, percelluntur. Non est instituti mei nec animi singula huc transferre, quæ fusè, fideliterque à vitæ auctore scripta sunt: Vt ostendam qualem clientem Virginitas Romæ, ac Societati donarit, satis mihi fuerint testimonia omni exceptione maiora proferre eorum; quibus Ioannis perspecta conscientia fuit, tametsi nesciam an maius sit multitudinis pondus, in qua sanè copiosa nullus repertus ex omni ordine summo, mediocri, infimo, qui non miraretur virtutem iuuenis, & sanctum acclamaret. Ordior à P. Cornelio à Lapide cuius laus est in Euangelio, & in reliqua scriptura Sacra, & memoria apud nos in benedictione ob singulares virtutes, & præcipua Dei dona, quæ propria Perfectorum sunt. Huic cum Ioanne, quia fre-

quens, ac suauis consuetudo erat, quæ notitiam certam eorum pepererat, quæ scripto fusiore testata reliquit, ac iuris publici typorum beneficio sunt facta, quemadmodum, & reliqua illis affinia, quæ patres alij addidere. Laudat in eo virgineam verecundiam, candorem, modestiam, taciturnitatem, innocentiam, puritatem, humilitatem, obedientiam, cæteraque Dei munera, ex quibus conficit, quod mores, & actus eius Angelici potius videbantur, quàm humani.

Pater Ioannes Baptista Ceccottus vir integritatis eximiæ, & interioris disciplinæ magister in paucis peritus, quippe qui procul omnium sæcularium conuersatione in Collegijs Mediolanensi, & Romano sexaginta circiter annos audiẽdis domesticorum confessionibus, & iuuentuti instruendæ in spiritu sedulam dederat operam: hic inquam bienninm quod exegit Ioannes in remoto iuniorum contubernio quod Secessum dicimus, versatus est, cum ipso familiarissimè, & non in Sacramento dumtaxat, quo noxæ piantur; sed extra illud sæpius vbi conscientiæ ratio redditur multa nouit, quæ tacitus secum miraretur, præter illa, quæ palam laudabantur ab omnibus. Quale illud est non contigisse sibi toto tempore, quo conscientias direxerat quempiam nouisse maiori puritate, & candore nitentem, & obseruasse in eius anima prærogatiuas supra vulgarem probitatem excellentes: Communibus etiam bonis ac feruentibus religiosis caruisse peccatis, leuis-

si-

simis dumtaxat obnoxium, sine quibus humana vita à mortalibus non transigitur, ijsque perpaucis, ac non omnino deliberatè admissis, quod à Spiritu sancto animam illam dirigente recognosci par est; sicut & vigilantiam, & custodiam, qua sensus, & cogitationes in officio continebat tanta constantia, vt nunquam nisi in melius incæpta commutaret. Perfectionem in regulis nostris descriptam, quæ summa est, ac Apostolica, illum assecutum, neque visum à se aliquando, qui eas accuratius obseruaret. Tanquam Angelum Paradisi communi existimatione habitum, ab omnibus dilectum, & diligentem omnes, neque in vllo vitium aliquod vnquã notantem: Deesse sibi verba ad exprimendam pro merito puritatem angelicam innocentissimi Iuuenis, & gratiarum thesauros, quos in eo deprehenderat; vt iccirco non ex vano censeret columbinam animam recta in Cœlum conuolasse.

Accedit P. Thomas Massuccius Philosophiç, ac Theologiæ olim lector, & editis de cœlesti conuersatione, ac vitæ sancti Pauli Apostoli voluminibus mundo notus. Is præfectura rerum spisitualium fungebatur in Collegio Romano tum, cum Ioannes absoluto biennio, de superiori semota contignatione descendere iussus est, ac proinde suæ curæ, demandatus, vt eius propterea testificatio tanquam docti hominis, & oppido religiosi, probique, plurimi sit æstimanda. Verba istius sunt: Iuuenem nullum post Beatum

Aloysium Gonzagam, quo cum vixi, ac familiariter egi vltimo vitæ eius anno in Romano Collegio, spectabiliorem, conscientia puriorem, & perfectione excellentiorem hoc Ioanne nostro noui &c. Ascendisse ad cor altum non contentum mediocritate: excellentiam spectasse in virtutum, & studiorum profectu ad Dei gloriam & salutem proximorum. Ad hunc finem adhibuisse tanquam medium regularum obseruationem, quarum, ne minimam quidem vnquam deliberatè violauit: in quo religiosa vita eius sæculari respondit diuinæ legis studiosissimæ, & omnis letiferæ labis experti; imò & venialis plena deliberatione contractæ. Proinde tria vota religiosa examussim seruasse, neque aliquid vnquam reperisse de quo se accusaret, ne motus quidem carnis inuoluntarios, aut spectra nocturna quiescenti illudentia, quoniam mens rerum cœlestium imbuta formis, & diuino ardens amore locum ludibrijs etiam in somnis non reliquerat. Ex meditationibus quotidianis adeo clarum lumen ac feruorem ad reliquas diei actiones retulisse vt videretur in ius transisse gratiæ à virtutis semita errare non permittentis & id generis alia. Accedit magna testium grauissimorum nubes, adhuc viuentium, quorum alij insignem Sanctissimæ Eucharistiæ cultum, ac venerationem memorant, quam quoties per superiores licebat præter consueta tempora deuotissimè sumebat; Alij tenerum, fortem, ingeniosum ergà B. Virginem amorem prædicant;

ad cuius cultum propagandum natus videbatur, cuiusque auxilio acceptum referebat quicquid boni in vita accepisset. Nouies quotidiè repetebat (Beata Viscera Mariæ Virginis quæ portauerunt æterni Patris filium, quot mensibus videlicet gestauit in vtero puerum Iesum) Nulla dies abibat illi quin horas eius, ac litanias recitaret, præter alios multos modos ipsam colendi, quos ingenio vegeto amor, & pietas suggerebant.

Ad hæc sanctæ Paupertatis tam feruens amator, vt nihil præter Beatissimæ Virginis officium, Rosarium, & regulas apud se retinuerit, aut concupiuerit, oblatum ve acceperit. In victu atque vestitu tum belle secum agi putabat, si deteriora darentur. Obedientiæ summum attigit apicem, & religiosum gestis exhibuit, quem S. P. Ignatius in aurea sua ad Lusitanos epistola coloribus planè cœlestibus expressit, & hæc vota bis quotidie mane, & vespere renouabat.

Auget fidem externorum opinio, & vulgata per Vrbem Iuuenis fama: etenim cum parere quotidie in gymnasij, & in templis sæpe orare oporteret, non rarò etiam ad Catechesim in plateas exeundum, trahebantur multorum oculi ad eum contemplandum radijs quibusdam gratiæ ex vultus, & corporis compositione micantibus, vnde curiositas manabat sciendi quis, & cuias esset; inde beneuolentiæ aduersus illum suauis quædam affectio, & virtutis effusa commendatio Angeli cognomentum, vel Alterius B. Aloysij

ſpirantis imaginis effecerat. Nec deerant qui affirmarent ex eius aſpectu repreſſum calorem in venis gliſcentem, & ad praua compellentem. Sat ſermo increbuerat pulchritudinem faciei, quam ſuo purpuriſſo modeſtia pinxerat, libidinis eſſe amuletum & ſtimulum honeſtatis; certè à tyrocinio vſque mirabantur domeſticorum, perplures, quod oculi eius neſcio quid ſuperhumanum ſpirarent, quod intuentium corda ad pietatem incitaret, & in Collegio Romano exclamabant tacitè plerique, fœlicem te qui Angeli inſtar de Cœlo lapſi ad nos tuo exemplo excitandos veniſti; & cum lacrymis teneritudinis fatebantur, cum viderent Ioannem, excitari in ſuis præcordijs amorem caſtitatis. Fuit hoc inſigne Sanctiſſimæ Matris priuilegium petenti conceſſum forma quadam, ac numero angelicarum ſalutationum ad illud impetrandum quotidie vſurpata. Sed nunquam alias luculentius hominum de Ioanne exiſtimatio innotuit, quam cum viuere deſijt inter nos, & ad meliores migrauit.

Peracto namque examine de tota Philoſophia ſolemni forma, qua quotannis pro Metaphyſicis inſtauratur, cum ſumma ingenij laude, & iudicum omnium approbatione lectus eſt ad theſes ex vniuerſa philoſophia propugnandas. Atqui vt erat maiori Dei gloriæ ſemper intentus, & ſui oblitus, vel contemptor, conſuluit poſt porrectas Deo preces confeſſarium ſuum, expediret ne ad Dei honorem recuſare, & omni conatu, non au-

tem perfunctoriè ne onus hoc, honoréue recusare : an potius silere, & quod imperabatur, sine recusatione exequi. Hoc secundũ (reposuit ille) eligendum puto, atque vt cogitare de recusatione desinas tibi suadeo. Acquieuit illico obediens Iuuenis; & VIII. Idus Iulias ann. 1621. publicè theses; defendit, & perfectam Scholastici Societatis imaginem functa modestiæ eruditione exhibuit. Respirare ab ea functione consuetum est cæteris, & fræna contentionis studiorum relaxare, quæ per triennium reducta tenuerat rigor ad metam scientiæ, & rerum naturaliũ cognitionis intentus; Ast Ioannes in eodem vitæ tenore perseuerans quod superérat otij à litterarijs exercitationibus ad finem philosophici cursus remittentibus, totum ad spirituales transferebat, in ijsque ita se dedidit, vt abstractus à terrenis veluti peregrinus incederet, & maximo desiderio arderet moriendi, & esse cum Christo; quæ prima fuit sponsi vox ad nuptias Agni in Cœlum inuitantis. Altera paulò clarius vocasse visa est pridie Cal. Augusti in sortitione Sanctorum postrema cuiuslibet mensis die fieri solita; tunc videlicet obtigit icuncula Ioanni verbis Saluatoris inscripta, Videte, Vigilate, & orate; nescitis enim quando tempus sit. Simul vox schedas diribentis sacerdotis insonuit, simul spiritu interius sonante didicit moneri se instantis resolutionis suæ, neque gaudium ingens inde conceptum dissimulauit ijs quibus cum animi secreta communicare sueuerat,

tam asseueranter moriturum se breui affirmans, vt cœlitus ipsi reuelatum crederent. Paulò post Nonis Augusti Beatissimę Virgini ad Niues sacro leui morbo correptus est, qui à generoso athleta neglectus emersit in febrim, & lecto, affixit, ac inde ad sepulchrum amandauit. Infirmitatem, ac mortem euenta aliquot pretiosam reddidere. Primò quidem prædixit non semel abeundum sibi, & quidē citò ex hoc mundo, & alijs salutem non desperantibus, alijs longiorem fore ægritudinē arbitrantibus, ipse familiari fratri à latere non discedenti clarè, & absque vlla ambiguitate fassus est postridie mane sibi moriendum. Atque ita vt prænunciauit euenit. Deinde coniectantibus aliquibus ex ipso morbi genere non amissurum linguę vsum, nisi cum vita, & de hoc inter se susurrantibus, Ita est, inquit, Ioannes, sensibus integris, ac loquens moriar; quod à Deo impetrasse non dubito; & in hoc mutatum votum decedendi in castris inter labores iuuandi milites, qui in Belgio contra hæreticos pugnant. Atque hic quoque non esse falsum recuperata loquendi facultas ostendit, quam per horas fermè quaternas violentus paroxismus abstulerat. Ad hæc Rectore Collegij Sacris operante, & sanitatem Ioannis ardenter à Deo deprecante, dixit assidenti sibi Patri Fracinsco Piccolomineo cum Magistro suo, & deinde post omnes apud nos magistratus ad summum euecto, P. Rector modo pro me luctatur, vt alter Iacob, cumque à templo rectà ad ipsum
vi-

visendum venisset, Ego, inquit, tantillum cum Domino sum conquestus, mi frater, quod immaturè nimis te nobis eripiat: Cui ille subridens nil respondit. Eodem die semel iterumque eidem Patri innuit nequicquam renouare Rectorem matutinam postulationem, & oppugnari se quidem valide ab ipso, sed tandem cessurum voluntati diuinæ; quod cum Rectori retulissent aliqui, fassus est intercessorem se egisse non frigidè pro vita Ioannis apud Deum; nescire tamen quomodo, quod secretò factum fuerat illi innotuisset. Ast in promptu erat existimare animæ illi purissimæ prophetiæ lumen adblandiri, & pauca quæ numerauimus manifestare tamquam dilectæ sponsi mox venturi, & ad visionem beatam deducturi. Sacerdotem familiarem rogauit adesset sibi nocte pugnæ contra Dæmonem destinatæ; Magistro item suo dixit Pater hac nocte luctamen instat, quod tertium etiam Valetudinario significatum voluit, vt pro se Dominum precaretur, & re vera ingens certamen cum cacodæmone, permissum illi à Deo, vt ex vultus turbatione, & responsis ad accusantem liquidò cognitum est, quorum postremum fuerat, Ab Satana non timeo te. quam dimicationem nequam spiritus paulò post instaurauit, de nihilo accusans, vt perterrefaceret; sed nullo negotio abactus est à pugile in nomine Domini. & radijt serenitas menti, & cordi gaudium de vicina morte. Vulgaria fortasse quis reputet animi æquitatem, ac lætitiam
hanc

hanc qua de manu Dei veluti donum clemé tiæ eius ægritudinem recognouit: laudes, & gratiarum actiones, quas secum ipse, & coram alijs reddere non cessabat; perpetuam cum ipso vnionem, suauissimas cum Beatissima Virgine, & Cœlitibus alijs collocutiones, ingens desiderium Sanctissimæ Communionis, obedientiam erga Medicum, & sui corporis curatores, modestiam, hilaritatem comitatem, qua se inuisentum turbam excipiebat. quæque ijs similia, veram religiosi ægrotantis formam repræsentantia; Ast modus, ac pietas singularia reddebant, qualia in insignibus Sanctis de vita mox discessuris minime vulgaria iudicamus. Id etiam omitti non debet, quòd cum Viatico muniri sua sponte postulasset, rogatum P. Rectorem voluit, concederet culcitram super pauimento sterni, & veste Societatis induto panem vitæ sumere, & mori; nimirum assueuerat vestem prins exosculari; quàm induere, & erat osculum illud medullitus fixum gratitudinis index pro beneficio vocationis, & gratiarum actionis pro illo debitæ, & ad mortem, vsque continuatæ. Accurrebant interim frequentes ad valetudinarium Patres, fratresque, qui viso spectaculo illo, auditisque vocibus Iesum, ac Mariam inuocantis, nec dolori parcere, nec lacrymis temperare poterant. lætus erat vultus, & vniuersis circa plorantibus solus ipse ridebat (ait S. Hieron. ep.3.de Nepotiano) & hic noster lætabatur mox in domum Domini iterus fide duce,

&

& comite caritate, quarum actus totius vitæ cursu exercitos renouauit ardentiſſimè in morte: cùm Sacerdote hoſtiam digitis tenente magno amoris impetu dixit. Proteſtor hic eſſe verum filium Dei patris omnipotentis, & Beatiſſimæ ſemper Virginis. Proteſtor me velle viuere, & mori verum filium Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Apoſtolicę Romanæ. Proteſtor me velle viuere, & mori verum filium Beatiſſimę Virginis. Proteſtor me velle viuere, & mori verum filium Societatis.

Quibus affectibus ſuauior, fortiorque fuit inſequens; quo in ſinum virgineum demiſit angelicum panem, & diù iunctis ad pectus manibus, corde in Chriſti latere repoſito intimis colloquijs agebat cum illo, & tenerrima iucunditate colliqueſcebat. Interim intendente ſe morbo non remittebat deuotio, cum modis alijs, tum hoc potiſſimum ſe ſe prodens, quod crucis Sigillum, Roſario è collo detracto obuoluit, priſtino retento more, quo incolumis cubitum conceſſurus circumdare aſſueuerat; tum regularum codicem, in quo etiam ſcholaſticis præſcriptæ continentur, poſtulauit, ac allatum Cruci, Coronæ applicuit, & faſciculi inſtar manu apprehendens Hæc, inquit, ſunt tria mihi cariſſima, cum his libenter moriar, & oſculatus pectori admouit, hæc poſt certamen memoratum cum Dæmone, repetens rurſus illa eſſe ſua arma, in ſua cuique laude tribuenda eloquens in difficultate loquẽdi fuit; Co-

rona

rona verò precatoria rurſus iniecta collo libri regularum cum aperiret incidit in formulam ſimplicium votorum, eamque recitare verbatim delectationi habuit.

Properabat mors Domino vitæ ſeruiens, & eius aduentum præuertentes domeſtici quiq; ac externi primæ etiam notæ non pauci viuentem videre Ioannem, ac audire loquentem peroptabant. Hi monita vitæ petere, illi commendare negotia in cœleſti curia, plures benedictionem poſcere, omnes preces efflagitare Sanctiſſimæ Triadi, & Beatiſſimæ Virgini offerendas; ipſe cunctos ſolari, ſalutis, ac perfectionis conſilia dare, fidem quin etiam ad orandum pro ipſis Dominum obligare; moroſum ſe dumtaxat in benedictione impertienda flexis etiam genibus deprecantibus, exhibere, quod ætati ſuæ minus decẽs iudicaret. Vox vna de cubiculo exeuntium erat. Repetit Cœlum Angelum terræ commodatum, vlterius illum poſſidere nequaquam digna. Pari cum pietate extremæ vnctionis Sacramentum petijt, & excepit, non animum modo, ſed etiam corpus parare ob ſummam reuerentiam curauit rogato Infirmario, vt pedes ſacro oleo inſungendos ablueret, in quo poſtremo officio hilaritatem vultu præferre, Sacerdoti preces præeunti promptè reſpondere, ijſque abſolutis petere à præſentibus, vt precationes alias, ſecum recitarent; inſigniter affici, affectumque erga Beatiſſimam Virginem patefacere cum eius litaniæ percurrebantur, ipſam ſuam dilectiſſi-

mam

mam matrem inuocare cum filio Iesu, & Cœlitibus aliis, quoad Idibus Augusti an. 1621. quæ feria sexta erat mane ante horam 13. purissimam animam reddidit Creatori, annos natus duos, & viginti, menses quinque, defixis in Crucem oculis, quam manibus vna cum Rosario, & Regularum libro arctè complectebatur. Et mansit aliquandiu color, & serenitas quędam vultui, qualis viuenti inerat, vt gratulari videretur animę fœlicitatem suam.

Attinebantur id temporis Professores in sua quique classe, & prælectione, cum repente mæstus Nolæ sonitus excessisse Ioannem admonet: Tunc enimuero plerisque omnibus, præsertim scholarũ superiorũ magistris mors iusti, vt intimi doloris, ac lacrymarum causã; ita & argumentum obtulit digrediendi ad laudes eius, & auditoribus cupiditatem iniecit videndi corporis, & honorandi. Eapropter vulgato per eosdem, adolescentis pro Angelo habiti interitu, confluxere ex vrbe ad funus tam frequentes omnis conditionis homines, vt se comprimerent, ac pene suffocarent. Nullus erat qui non tentaret aditum ad manus osculandas, aut pedes; & eò progressa deuotio est, vt non modo flosculi quibus capulus erat inspersus, carperentur; sed crux inter manus emicans, Rosarium dextræ appensum, pileus, crepidæ surreptæ sint; tum vestes dissectæ ferme ad nuditatem, imo neque parcebat religiosa populi auiditas dissectioni carnium; ni per vim subtractum fuisset

ſet, & in ſacrarium delatum cadauer. Aſt promiſcua turba dilapſa deferendum rurſus fuit aliquoties in templũ, vt ſatisfieret votis Illuſtriſſimorum virorum, ac fœminarum frui aſpectu illo exoptantium; & horum haud exiguus erat numerus, qui & oſcula figere, & coronas, anuloſq; carnibus admouere, & reliquias petere Sancti adoleſcentis non ceſſabat. Certè in tanto concurſu, & impetu multitudinis præciſis veſtibus, vnguibus, capillis depreheńſus pes eſt digito carens mox alijs cariturus, ſi fallere oculos cuſtodientium manus quidæ valuiſſent: ſed & è cubiculo reculæ vſuariæ à domeſticis vſurpatæ ceu eius contactu, ac vſu à profanis diſtinctæ, ac pretioſe. Inter has inuentum monile inſtructionum ſpiritualium ad amuſſim diſciplinæ interioris in conſtitutionibus, & regulis noſtris traditæ. Hoc tanquam appẽdix vitæ à P. Cepario deſcriptæ appoſitum, ſapientiam indicat & canos ſenſus immaculatæ ætatis in adoleſcente, quæ quidem altior, quàm vt à vulgaribus religioſis ad praxim reduci queat: ſed reducta à Ioanne fuit, qui ita vixit vt ſcripſit: quia viuere, & ſcribere vt dilectus diſcipulus ab eo didicit, qui eſt via, veritas, & vita, quò ceſſet admiratio intuentis lucem radiantem in iuuene, quæ illum etiam maioribus Eccleſiæ ſyderibus æquabat. Incluſum corpus eſt lignea arca, infixaque lamina plumbea nomine eius inſculpta, & primùm in recenti ſepulcro aræ B. Aloyſij, tum in communi, vbi idem Beatus aliquot

an-

annis iacuerat. Eò religiosa pietas multorum præsertim Nobilium inuitante sepulchri Sanctitate conuenire quotidie occœpit, flores, herbasque odoriferas spargere, lumina accendere, votiuas tabellas beneficiorum indices appendere. Neque Romæ dumtaxat, sed alibi per orbem dissipata Sancti iuuenis fama ad eum colendum, inuocandumq; gentes incitauit: Et cum lipsana non superessent in tam multos distribuenda, icunculas procurauere, haud absque ingenti incisorum lucro è quorum officinis ad myriadas multas emptorum copia exportauit. Visa pariter, & Miracula tam multa insequebantnr, vt Greg. XV. iussu examinata, & approbata sint. Sed reseruanda eorum, & aliorum narratio est tempori, quo Sancta Sedes Apostolica de cultu eius publico aliquid statuat, ad quem priuatim à singulis exhibendum spiritus, famuli sui sanctificator, impellit quotquot vitam, & acta eius paulò attentius perpendentes, probè norunt dignum esse & ipsum Angelici Iuuenis appellatione, meritò Virginitatis prorsus illibatæ, & præiudicio integerrimi Tribunalis, olim vti spes est, legitimè causam discussuri.



S. BARTHOLOMEVS.

O

Filij obedite parentibus vestris in Domino. ad Ephes.6.si coniũgas obedite in Domino, & intelligas de parentibus carnalibus, obediendum illis secundum legem Domini iusta præcipientibus. Si vero cum parentibus in Domino, hoc est qui genuerunt in Domino sensum restringis, vtrique obedientiæ conuenit illud S. Gregor. l 4.in 1.Reg.super hæc verba septem diebus expectabis me.

Victimæ sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo subijcimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus Dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus.



Antonius Maria Vbaldinus Comes
Virginitas vi mortis potentior. *S. Nissen.*

Antonius Maria Vbaldinus.

ADeste liberalis iuuentus Romani Seminarij conuictorum, & quotquot per Orbem sparsi in Ephebeis virtuti, & Sapientiæ Sacris, in viros probos, & doctos adolescitis. Comitem Antoniū Mariam Vbaldinū olim in vestris hortis, inter vestros flores vernātem, ad virgineos translatum cœtus, sequi Agnum, vt piè credimus, ac partē parthenię festiuitatis esse, honori vestro ducite, & æmulari discite. Non est animus à familiæ antiquitate inter Sicambros olim principalis, & postmodum in Etruria, & Vmbria, omnis gloriæ splendore florentis, contubernalem vestrum commendare: sed Christianæ virtutis, & honestatis supra totam nobilitatem æstimatione præferendum exemplar proponere, in quod eò libentius oculos intendatis, quò recentior eius est memoria, conuictus similior vita, & mors illustrior. Neque vos moueat, quod cum ministris sacris inducitur, qui neque ordine vllo ecclesiastico initiatus; neque religioso addictus, diem obijsse, ceu de sæcularibus vnus visus est. Etenim vt à fine vitę initium ducat oratio, in optatis habentem ingredi Societatem nostram, febris inuasit, vel hoc nomine minùs molesta; aut etiā grata, quōd spem à valetudine longius dilatam accelerauit; nimirum cum inualesceret in dies, & timorem non vanum mortis afferret, instititę ęger per se, perque amicos. pre-

Edita vita Romæ à P. Icobo Biderm. latinè, & ab alijs Italicè.

cibus sollicitare Præpositum Generale Mutium Vitellescum, hoc postremum solatium morituro non denegaret, vt quod diù optauerat, petieratque, socijs adscribere dignaretur, ne decedat inauguratus, nec alio tumulo mortui corpus conderetur, quàm quò tyrones condi consueuere, quos propediem in cœlo visendos à se præsagiens animus minimè ambigat. Annuit postulatis bonus pater, cui pridem nota erat indoles planè aurea, moresq; adolescentis optimi, & ex candidato tyronem fecit; atque vt cumulatius beneficium foret, non modo veste nostrate indui; sed & vota tria nuncupare concessit, quo modo concedi plerumque solet ijs, qui ante absolutam biennij probationē, totos se Deo deuouere ardenter optant, & tempus legitimæ emissionis anteuertunt, quâ verè in corpus Societatis cooptantur, & Religiosi nota insigniuntur. Vix non conualuit ex læto Nuncio ægrotus, & actis per internuncios Generali gratijs, vt maiori cum apparatu diem festum, ac sibi faustum ageret, rogauit facultatem sumendi postridie Sāctā Eucharistiā, ac impetrauit; cumque cubiculum Valetudinarij in quo iacebat, splendidè venturo Domino ornauissent, & plurimi Sacerdotem Hostiam Sanctam deferentem comitarentur, ad eius ingressum profundè veneratus è cubili, qui surgere, & humi se abijcere, ac adorare maluisset, datam sibi Votorum simplicium formam disertè, pieque recitauit, & sacrum panem incredibili cum reuerentia, ac pietá-

te sumpsit, vt continere lacrymas præ teneritudine nequiret corona adstantium, quam facessere tamen omnino decuit ne delibuti gaudijs intimis delitias, & suauia cum suo dilecto colloquia, suspiria, oscula crucifixo libata inter turbaret. Vt indultum ijs abundè fuit. Iam, inquit, ò me fœlicem, Nouitius Societatis sum, apage hinc vestes & totus habitus sæcularis, & auferri ex oculis iussit tanquam profanas, tunicam verò vilem, qualem Nouitij induunt infimis precibus impetrauit, & quamdiu vixit, vel in humeris, vel ante oculos retinuit delectatus subinde exosculari, tanquam rem pretiosam, & diù multumque desideratam: quin & indusium vesti consentaneum sibi deberi sui curatoribus ita suasit, vt persuaserit; certè precibus impetratum extemplò induit, abiecto subtiliori, quo hactenus vsus fuerat: cum habitu nouo etiam hominem nouum induit, non quod veterem esset exuendus, qui stolam innocentiæ non exuerat, sed quod è probo Conuictore Seminarij in eximium Societatis Nouitium gratia iuuante migrauit, & Veteranum prætulit patientia in morbi molestijs perferendis, humilitate in sui demissione, caritate erga Deum, & Cœlites sui patronos, præsertim B. Virginem, Sanctum Ignatium, & B. Aloysium Gonzagam, in amore erga proximos; in hortatione ad contubernales, & fratrem natu maiorem inuisentes plena feruoris habita; in deuotione, qua postrema mysteria petijt, & suscepit; in morte ipsa, quæ san-

ctissima inuocantem nomina, & ad Beatæ Patriæ fontem anhelantem non falce demetere, sed placidè complecti visa ad meliores transmisit, & partem mortalem vestibus religiosis amictam, ac loculo in D. Andreæ ad Quirinalem conditam verecundè habuit, ne leuiter quidem virgineis artubus violatis, vt deprehensum post menses octonos à sepultura est.

Fuit funus eius religiosè magnificum. Iusta soluta in templo D. Andreę ritu apud nos solemni, ex hoc solemniore, quod numerosa Seminarij iuuentus tyronibus immixta, & modestiæ æmula, pars esse auidè voluit officiorum, quæ carissimo Conuictori præstabātur. Neque hoc contenta, paulò post aulam domesticam sanè amplam lugubri aulæorum operimento vndique tectam, emblemate, & carminum varietate exornauere, quæ functi laudes narrabant. Atque vt muta encomia viuæ vocis spiritu animarentur, in paratum suggestum adolescentes bini dicendi facultate, & gratia præstātes cōscendere, quorū alter soluta, alter adstricta numeris oratione sodalis laudes persecuti sunt, quas parietibus affixa elegidia oculis subijciebant frequentissimæ, nobilissimæque coronæ etiam externorum eò confluentium. Inde sparsa per vrbem, & per Italiam raræ in ea ætate virtutis fama, fructus peperit pietatis eximios, in adolescētibus potissimum imitationis desiderium, & honestatis amorem: subsecuta veneratio est, & quærendi studium res eius vsui addictas, flagella

gella, catenulas ad teneri corpusculi castigationem olim admotas, quæ manifesta fuere argumenta opinionis, quam superstitem reliquit apud notos, ignotosque sanctitatis, & gratiæ diuinæ singulari fauore Vbaldinam pueritiam, & adolescentiam prosequentis. Idque præcipuum caput fuit, quò tota laudatio publica perorantium, & priuati sermones effusè celebrantium virtutes eius spectauere: Cum enim communes metas proborum adolescentium longè excederent, & admirationis ansam paulò curiosius obseruantibus præberent, eò tandem causa insolentiæ referenda, vnde omne donum optimum in genus humanum deriuatur, in beneficentiam videlicet summi Numinis, cui excipiendæ nulla ætas, nulla conditio non est idonea, si impertiri velit. Ab hoc fonte manauere riui quibus prima ætas rigari cœpta, flores sanctarum cogitationum, & salubrium consiliorum fructus peperit: nimirum oborta lux matutina, meridianæ præuia, vitij fœditatem patefecit, & Dei timorem adeò altè impressit, vt leues etiam offensas reformidaret. Ad eum tuendum, augendumque orandi studium, & vsum Sacramentorum adhibere instituit, non tam externo piæ moderationis, quàm interno Sancti Spiritus ductu, qui suũ clientulum per vias rectas longè à distortis puerilium ineptiarum prouehere gaudebat. Exomologesi extergere labeculas animi, tanto dolore, timoreque quantus in criminoso satis fuisset ad grandes noxas expiandas. Ad

Sacram Synaxim accedere non antea per maiores licuit, quàm duodecimus subiret annus. vt semel Epulum Cœleste gustauit, esurire cœpit adeo ardenter delicias eius, vt non modo in menstrua, quę concedebatur, communione; sed in quotidiano sacro dum eleuabatur hostia Sacrosancta temperare, haud posset lacrymis vbertim per ora fluentibus, & quod in pusione mirabantur parentes, nec inhibere audebant, qua die cibo sancto reficiebatur, amarus illi profanus erat; & præter bucceam cibarij panis, nihil degustabat; reliquas prandium cœnęque dapes, cum bona ipsorum venia pauperibus erogabat. Qui rigor abstinentię suauior illi erat epularum lautitijs, ideoque toties repetebatur, quoties subtrahere se arte aliqua poterat communi mensæ, & sæpiusculè venationis obtentu, quo rigidum ieiunium tota die continuatum obtegebatur. Illud certè cælari, haud poterat, quod accumbens cum domesticis, escas delicatiores respuens, viliores eligebat, & vniuersim à sensui amicabilibus, & ludicris, ad quæ pueri naturæ feruntur impetu, ipse puero, & sane maior gratiæ impulsu refugiebat: ad aspera vero, & amara sponte, libenterque properabat.

Blanda quædam seruorum obsequia nobilibus Ephebis exhiberi solita seuerè respuebat, & mirabantur serui, quod cum tota familia in hyemis rigore thermoclinijs ad arcendum nocturnum frigus vteretur, ipse nec foculum sibi supponi, neque lectulum calefieri

eri fustineret. Magis adhuc mirandum videtur; quod tenellus in suum corpusculum ageret seuerum vindicem, & terga verberibus, latera quà cinctu ferreo, quà cilicino vexaret pœnarum auidus, & culparum inscius: sensus tam vigilanter custodiret, vt oculos etiam à familiaribus, fœminis abstineret, & ne qua suum cubiculum ingrederetur palam ediceret; linguæ verò talem custodiam adhibuit, vt nunquam in leuia, vel scurrilia laberetur, semper in necessarijs moderationē, & grauitatem seruaret. Castitatis amorem ex nutricis vberibus suxisse videbatur, qui per dies incrementa capiens, animulam insontem in se conuertit adeò validè, vt pretio eius agnito super aurum, & topazium æstimauerit; & cuncta, quæ nitorem eius obfuscare possent summo studio, ac diligentia deuitauerit. eapropter Matrem Virginum colendam sibi precipuò honore duxit, ad cuius tutelæ auram florem hunc tutum fore intellexerat. Quotidie preces eius horarias attentè, deuoteque recitare: & dies Sabbatinos ieiunio rigidiore transigere; subinde ad eius opem cōfugere; & summa fiducia instar filioli ipsi hærere. Quæ talia prolusiones fuere in domo paterna ijs quæ Romanum Seminarium insigniter aucta videre meruit, & admirari.
Aluntur in eo adolescentes ingenui ex varia nobilitate Italiæ plurimum collecti, & ad disciplinas liberales, ac virtutes educantur; vt iccirco earum hospitium valdè honoratè audiat. Alij Athenæum scientiarum vocant ob

assi-

assiduas literarum exercitationes. Ab alijs palæstra morum appellatur, quod in ijs efformandis, & vitijs debellandis contenta moderatorum vigilantia excubet. Placuit aliquibus Pietatis domicilium nuncupare, quod eo colliment patrum studia, vt ad Dei timorem, & cultum erudiantur alumni, & ita litteris imbuantur, vt sensus homine christiano dignos hauriant, & Cœlum Terræ præferre condiscant. Cui diligentiæ non potest non respondere fructus vberrimus, si minimè par; sed in aliquibus adeo eximius, ac luculentus, vt compensatum abundè videri queat, quicquid molestiarum, ac vexationum in lubrica, ac laboriosa administratione deuorandum est. Sanè vt exemplo in paucis splendido contubernalibus; ita solatio maximis comparando, fuit Vbaldini vita moderatoribus, ac Magistris per triennium circiter id loci exacta. Omitto, quę ingenium, ac diligentiam in studijs Grammaticæ, quibus addictus fuit, magnopere commendant, satis, superque dixisse fuerit condiscipulorum nulli fuisse secundum, in ijs profectò; quæ ad pietatem pertinent longo interuallo omnes antecessisse. Orandi modum ex præscripto S. Ignatij à Cubiculi Præfecto edoctus, & ad vsum reducere exorsus, alas accepit, à Spiritu Sancto, & in collem thuris, id est orationis, auolauit. Præter statuta in communi tempora precationi; plusculum meditationi dabat, videlicet quantum per scholasticas exercitationes fas erat, & feriatis diebus horas integras cum liquidissima

vo-

voluptate insumebat. Ea ne sodales subolesceret, cauebat sedulò; sed ipsa se ceu per rimas prodebat.

Aliquando enim latere in angulo quopiam ratus, inuentus fuit à non quærentibus humi abiectus inter vberes lacrymas, & suspiria; alias genibus innitens Crucifixum manu prætendens, & exosculans; sæpius oculis in Cęlum intentè defixis pectus pangere, & veniam comprecari: Nimirum cum dono contemplationis veluti superiori irriguo, donum etiam lacrymarum ceù inferius à Patre bonorum datore fuerat assecutus. Interrogatus ab amico, quæ maximè desideraret, tria sibi in votis esse respoudit, primum si solus esset, semper cum Deo colloqui; alterum si cum hominibus, etiam in conferta turba versari oporteret, de Deo loqui; tertium vbi vbi demum esse contingat, Iesum in Cruce pendentem contemplari. Hoc quippe inter alia eius erat studium dolores Christi meditari & multa patiendo, imitari.

Documento fuit pęnitentiæ rigor, quo nouis subinde modis corpus atterere perseuerabat, cui neque nocturnam quietem liberam à pęna concederet, neque cibum sine abstinentia indulgeret. Ter per hebdomadam super duros asseres incubare, reliquis noctibus lignorum fragmenta linteaminibus supponere; pro ceruicali, & puluillo, inęqualiter codices disponere ne mollius, commodius ve caput, quàm artus cæteri cubitarent. Nuda latera setosis funibus obstringere cingulis cilici-

ci-

cinis circumligare, & cum delicatorum hoc experimentum iudicaret, stimulos ferreos interserere, ne commodum in tormento quærere videretur; qui tormentum in ipso commodo quæritabat. Nam & cum foras prodeundum, & per campos excurrendum erat de more loci, vacationum diebus, arctè præcinctus cum sodalium comitatu incedens, acriorem sentiebat ex agitatione dolorem, & ex dolore consolationem; quod placere Christo carnis displicentiam arbitraretur, cruciari recreationi duceret.

Alternis noctibus flagris se cædere, ac fermè dilacerare; namque funiculis radios, & hamos intexuerat, & catenam ipse sibi ex circulis ferreis fabricauerat, qua sæuius membra contunderet diuerberatione nunquam quadrante breuiore, haud rarò ad semissem, aliàs etiam ad horam productâ, cum nullus adesset interpellator qui finem admoneret; quippe obseruabat tempus quo sodales alto sopore mersi strepitum non aduerterent. Neque legem sibi positam à suæ conscientiæ arbitro putaret, cui nunquam in mentem venerat edicto vetare, quod audere adolescentulum vix vnquam credidisset. Vibices, & vulnera in functi corpusculo post obitum deprehensa, testes fuere lanienæ qua illud superstes ceciderat; & accessere sociorum testimonia, quos non semel ictuum strepitus à somno excitauerat, dum nocte concubia se diuerberaret. Vt interim quotidianæ taceantur industriæ, quibus patiendi quærebantur

oc-

occasiones; & alacritas cum offerebantur, eas amplectendi: Idque cum aliàs frequenter vsu veniret; tum verò in cibatu erat assiduum. Ad triclinium pro appetentia tædium afferebat edendi, & assessoribus auidè illata edulia deuorantibus, ipse buccellas panis esitando ingeniosè tempus, & oculos alienos fallebat, simulque aliquid ex cibis appositis libare incipiebat, simul desinebat: qui si paulò delicatiores essent, ac sapidiores, intacti relinquebantur, aut assidentibus dabantur; fructuum primitijs blandis palati puerilis irritamentis, penitus sibi interdixerat; lætus eorum auctorem Deum exiguæ immolationis oblatione recognoscere, ac laudare; Vini adeo parcus, vt pauculis dumtaxat guttulis aquam inspergeret: quibus insuper abstinebat in Beatissimæ Virginis peruigilijs, & diebus omnibus Sabbatinis rigido panis ac frigidæ ieiunio exactis, vt in domo paterna pridem assueuerat: Aliàs si pio astu daretur à communi mensa abesse, frustulo panis naturæ necessitati subuenire fœlicitati ducebat, & esuriem animi iucunditate, & vultus lætitia reficiebat. Et cum talia pateretur, & ageret, ludere tamen sibi, & parum agere videbatur, non modo quia corporalem exercitationem ad modicum vtilem esse duceret, ni pretium à pietate mutuaret; sed etiam quia ad Martyrij palmam ardentibus votis contendenti velitationes istiusmodi leuioris armaturæ militum exercitamenta censebat: eà propter ita corpus exhibere Deo hostiam viuentem con-

nua abnegatione satagebat, vt maius momentum in passionum mortificatione, & cultu interiore poneret. Et quidem aduersus carnem, & sanguinem non erat illi colluctatio grauis, cuius pueritiam præuenerat gratia castitatis, adolescentiæ ardorem extinxerat fons pietatis, & timoris Domini à leuibus etiam culpis validè abstrahentis. Fibræ aliquot amoris proprij nondum planè emortui, germina interdum emittebant iracundiæ, ac indignatiunculæ, si quando honor, ac existimatio aliena garrulitate, iniuriaue læderetur; sed istis etiam breui euulsis adeò firmiter mansuetudinis, & humilitatis iactæ radices, vt offensiones quà verbis, quà factis illatas non modo ferret patienter; verum etiam ab offensoribus veniam deprecaretur, & obsequio rependeret, vt leniret. Vt sunt aliquando adolescentes aliqui in numero magno procaces, & iracundi, vsu venit, vt eorum nonnemo pugnis impeterct immerentem, qui nihilo commotus, veluti si musca peruolasset, loqui cum eo amicè perrexit: abusus illa patientia sodalis, excandescit acriùs, & pugnam instaurat, pugnisque contundit. Agitur hic de tua fama, vel infamia Vbaldine, ignauum te dicent, & à tuis degenerem, tali cognomento, & conuictu nobilium, indignum ni vicem reddas, & iniuriam bona mensura remetiare. Mundi, reponit Vbaldinus, hæc doctrina est, vel insania; ego à Christo edoctus sum percutienti dextram maxillam, porrigere sinistram, &

sed-

reddere pro malis bona, obmutuit igitur coram tundente, seiunctisque manibus ictus ceu agnus mansuetus, excipiebat, & retulit in patientia fructum; qui enim spectaculo intererant, vti proteruiam percutientis indignatione damnauere; ita tolerantiam percussi admirati sunt, cuius animi generosam indolem non nesciebant, ac patientiæ sanctorũ mansuetudini æquandæ, specimen oculis intuebantur; & cum frequens in communi cõsuetudine eius prodendæ occasio se daret; & latere sodales non posset, apud eos propterea pius, ac sanctus audiebat. Ast hæc etiam materiam deprimendi se præbebant laudis humanæ contemptori. negabat prudentis esse externa ex facie iudicium ferre probitatis; vitia plerumque virtutis habitum simulare, ac decipere; quàm alij patientiam, ac mansuetudinem vocabant hebetudinem esse quandam, & ignauiam illis titulis indignam; eos minimè falli, qui se contemnerent, & ludibrio haberent; qui tales si quando inuenirentur, eos conuenire libentius, & familiariter agere frequentiùs, mirè lætus si ab ijsdem morderetur, & in lucro ponens, si dicterijs pungeretur: vitare cautus omnem honoris ansam, quà sua bona cunctis patentia eleuando; aut mala si quæ laterent aperiendo. Vt risui exponeretur non expectato tonsore prominens ipse capillitium inæqualiter tondebat, aut amburere non verebatur, &, si iuberetur illi ceruices committere, vt defor-

mitas tolleretur, abradi ad cutim pilos optabat, vt inconcinnus, cachinnis æqualium exponeretur. Si quando cum sontibus insontem pœna aliqua plecti contingeret, non modò innocentiam suam non probare, excusatione, aut querimonia abstinere, sed intimo gaudio affici, & auidè deuorare, quod antea summis votis expetierat Christi opprobria, cum non daretur in magnis, in his saltem leuioribus referre. Oculos fortè coniecerat in imaginem Christum coram Herode repræsentantem, vbi alba veste indutus, & publico contemptui expositus est. contraxit ex illo intuitu imitationis desiderium adeo accensum, vt coerceri ægrè potuerit nè foras se proderet; & quia extra Seminarij, gymnasijq; septa non patebat egressus, in plateas ad merces pretiosas irrisionum, & ludibriorum coemendas, cum vtriusque moderatoribus prece contendebat, vt mulcta aliqua inertibus, & culpæ reis infligi solita, publicè castigarent; quæ deprecatio causa fuit aliquando magistro suo admirandi, & sciscitandi cur castigari se palam, tanquam reum vellet, qui in nullo deliquisset? Cumque tergiuersari, aut dissimulare religioni duceret, candidè fassus est cupiditate Christum imitandi moueri se ad postulata istiusmodi, vt saltem in minimis eius se discipulum probaret, quem in arduis sequi maluisset.

Hoc mortificationis intensum studium comitabatur orationis donum assiduâ cultum

dili-

diligentia. Vocalem à pluribus vſurpatam multi æſtimabat; at plus momenti in mentali agnoſcebat, quę paucorum eſt, & velut alba cornix in iuuenum ſæcularium gregibus. Breuia illa ſpatia precibus deſtinata, cunctis in communi, luſus erant admiſſo iam à ſponſo in cellam vinariam cum adoleſcentulis, & vinum interioris delectationis affatim potanti. Vix vlla hora abibat cogitationum ſanctarum vacua, & nulla prope abijſſet ab attenta cœleſtium meditatione libera, ſi liber ipſe à ſcholaſticis exercitationibus tempus diſtribuere pro libito potuiſſet. Certè feſtis diebus, quibus remiſſio ab illis otium vacandi pietati præſtat, & pluſculum indulgendi quieti, ac relaxationi commodum facit; ipſe vberius orandi cupiditati indulgebat; namque legitimum ſurgendi tempus præuertens horam plerumque, & eò amplius in meditatione diuinorum abſumebat, reliquas lectioni ſacræ, & præparationi ad ſanctam Synaxim dabat, qua peracta diù in gratiarũ actione hærebat, & diem totam in ſilentio, accuratioreq; ſenſuum cuſtodia exigebat, etiam cùm exeundum de more loci, vel auræ captandæ foras, vel honeſtę relaxationis in atrium domeſticum; etenim cum alij ſe in riſus, & hilaria effunderent, ipſe cautus linguæ, & oculorum, aut tacebat, aut ſi auditorem nanciſceretur minimè moroſum, de rebus diuinis, loqui conſueuerat: ideo increbuerat iam inter ſodales diſplicere illi maximopere ſermones vanos, & profanos cuiuſuis

 gene-

generis nouitates, & si sererentur obmutescere: Vice versa iucundissimè excipi quæcumque de Deo, deque diuinis dicerentur, ad quas ipse promptissimas ferebat aures, & ora tanta copia, ac voluptate laxabat, vt nemo illo disertior appareret. Collegerat ille quidē ex hortulis libellorum spiritualium fasciculos exemplorum, & sententiarum sacrarum, quibus inspergere colloquia familiaria poterat; ast ob continuam mentis attentionem ad Cęlestia, hauserat lucem, vt liber quidam intellectus eius esset rerum sublimium characteribus inscriptus, & lingua calamus scribæ eloquia pulchritudinis opportunè proferentis. Emerat sibi ex Bernardi monito, vel potius diuinitus acceperat, tria linguæ aromata, modestiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in persuadendo, atque vt istarum vsus comes erat prudentia, ita pretium operam sequebatur. Insinuabat se prius dexterè in familiaritatem, quàm vel consilia daret, vel correctione emendaret: & vbi officijs, ac humanitate deuinxerat, vtrumque frugifere præstabat. His suadere vt obsonij delicatioris illecebra Christi amore palatum fraudent; illis vitij fœditatem, odium, & virtutis pulchritudinis amorem ingenerare; hunc leniter monere, quod sacro indecore garriendo, vel circumspectando adfuisset, proposita mysterij dignitate summam reuerentiã deposcentis; illum alteri offensum reconciliare: cùm pauculis de mundi contemptu, de Christi imitatione, de animarum lucris acti-
tare,

tare, prout vnumquemque ad ea capienda idoneum censebat, tam cautus ne tędium pareret, aut sermonem effunderet, vbi non erat auditus, quàm attentus exemplo iuuare, quibus verba non proderant. Præcipuo verò studio ferebatur in tirones Seminarij recentes hospites, quorum animos humanitate prius delinitos, si eidem contubernio addicerentur salubribus imbueret monitis, nè perniciosis cuiuspiam alterius, vt sæpe contingit, occuparentur, maturè procurabat. Porrò suus respondit industriæ fructus, totus enim ille cętus adolescentum cum Vbaldino commorantium speciem quandam induit à religiosa non absimilem, siue ex diligentia in studijs, siue ex morum compositione, ac modestia, siue ex pietate in cœlites, siue iunctim ista spectentur. Ipse profectò forma erat Christiani iuuenis, & exemplar minimè vulgare religiosi. Castimonia Angelorum æmulus, & custos tam rigidus, vt intuitum in nullam fęminarum præter matrem, ac nutricem vnquam in tota vita defixerit, ex quò puer adhuc intellexit posse ex earum aspectu florē istum inquinari, vt iudicium fiat de reliquorum sensuum custodia adeo exacta, vt nimia etiam videri posset, si caderet huc, ne quid nimis. Certè latinorum etiam vocabulorum significata ignorare malebat si quid turpè indicarent, quam ea notitia fœdare animam castitati mancipatam: libros autem lasciuos ne aspicere quidem sustinebat, & si in tales inciderat; vel igne, vel exilio damna-

bat. Paupertati etiam operari cœpit, quantum per status conditionem permittebatur. Nempe ex animo omne desiderium habendi abdicare, ardenter mundum totum cum suis diuitijs, & commodis relinquere, & in omnium terrenorum nuditate Christum sequi concupiscere; Corpori autem quoad licuit ornatum, & sericas vestes interdicere, & vulgares pannos dumtaxat, ac tunicam honestam indulgere: libenter de proprijs dare; nihil, si casu, aut iniuria auferrentur, cõmoueri. In victu delicias omnes respuere, nisi quod cœlestibus pasto, deliciæ erant fames, sitis, ieiunium, sui abnegatio.
Pluribus amorem Paupertatis declarasset documentis, si laxare fræna desiderijs per confessarium licuisset. Sed laxasse licuit obedientiæ, quę plurimum in obseruatione scriptarũ legum domus illius propriarum enituit, & ad obseruantiam moderatorum, qui viua lex sunt, se protendit. Sibi dictum putabat, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; ideoque in præsidum, ac Magistrorũ persona Christum Dominum recognoscere didicerat, ac venerari, ceu si a religiosis claustris doctrinam istam hausisset. Ad eorum non modo mandata, sed nutus promptum, hilaremque se exhibebat, neque deprehensus est, vel verbulo refragari, conquerique, nec aures querimonijs, aut detractionibus, commodare; sed vultus grauitate, vel silentio, interdum etiam fuga obloquentium se subtrahere; si intempestiua videbatur admonitio

nitio. Ipse profectò de nullo minùs honorificè loqui, etiam cuius patebant errata, vnquam auditus est; sed excusare potius, & cópati; quia se, vt minimum omnium, & peiorem cunctis æstimabat; ideoque honore præuenire, obsequio demereri, ope iuuare, vbi opus erat promptè curabat, præsertim. Si laboriosa illa, & abiecta videretur; qualis erat, vt vnum de multis proferatur; quotidiana lectulorum compositio ad Seminarij leges, & consuetudinem, quæ nobilibus adolescentibus, & laboribus id generis insuetis, grauis, ac molesta accidebat; ipse quippe manum suam, & opem sternendis, componendisqae hilariter offerre, admouereque, tanta dexteritate, quanta ne à diligentissimo quidem famulo quæsitior desiderata fuisset. Quin imo, & cum ipsis famulis domesticis tàm modestè agere, vt iubere nunquam, rogare ferme semper consueuerit.

Quæ causa erat vt ab omnibus haud mediocriter amaretur; & inuidia iam à virtute superata, in veneratione, vt quid maius illustri adolescente haberetur; ipse solus sui ipsius contemptor, & hostis, laudes humanas horreret, dedecora, opprobria, & cótumelias optaret, & quęreret auidius, quam reliqui sodales, aut aulæ asseclæ ad honores & culmina inhient dignitatum.

Denique vt compendio multa complectar sub habitu sæculari, & conuictoris toga mores gerebat, & virtutes religiosas non vulgares illas, & communes; sed quales amant qui

ad perfectionis Euangelicæ fastigium strenue grassantur. Ea propter Iaponios Martyres Paulum, Iacobum, & Ioannem ab Ethnicis Cruci suffixos, & lanceis transuerberatos, & Indiarum Apostolum Franciscum Xauerium eorum Doctorem in patronos delegerat, quos votis, precibusque sollicitaret; vt profectionem ad Indos opportune obeundam, sibi à Deo impetrarent: quæ desiderij flamma, ita pectus succenderat, vt per os, ac sermones erumperet, quos serere subinde inter aliquos de eorum fœlicitate delectabatur, quibus contingeret optatissima missio, & mors in Ethnicorum conuersione pro Christi amore obita. Et erat sitis ista tam vehemens, vt quiescentem etiam sollicitaret: quippe somniabat sæpè in vicis, & plateis Iaponum magna contentione, & labore fidei mysteria cōfertæ turbæ prędicare, & contempto mortis optatissimæ periculo, Christum coram hominibus confiteri, ac idolorum cultum detestari. Indiderat illi Dominus Spiritum Societatis Iesu, vnde ardor iste manabat, & nihil ipsi antiquius, quàm vt in eam cooptaretur; & interim dum ingrediendi tempus opportunum opperiebatur, pulsare fores crebra postulatione, vt quantocyus aperirentur; ad cœlites confugere, vt ingressum fortunarent. Inter primas adeo curas S. Ignatium eius fundatorem colere, & inuocare; cuius inuocationis tres ipse causas exarauerat in libello à se composito, qui post obitum in Scriniolo inuentus est. Prima quod illius anima summe

Tri-

Trinitati complacita mirificè fuit; alterā, quod Sanctissima Cœli Regina eius consuetudine delectata visendam se conspicuè sæpius obtulerit. Tertiā quod eius opera refloruerit in orbe terrarū, pietas quā hæresum veneno extincta; qua corporis veterno languida. Inducta Sacramentorum frequentia, concionum vsus renouatus, templis ornatus restitutus, & quod immenso bono Reipublicæ Christianæ cedit; Iuuentutis institutio, & educatio ad mores probos, ac doctrinam salutarem speciali Dei fauore orta, ac propagata: quæ tria strictim huc relata, fusius ipse in suo Commentariolo persequitur, & copiosè explicat.

Sed nescio quā affectus teneritudine pronpensius ad B. Aloysij Gonzagæ amorem cultumque rapiebatur; an quia ętatis similitudo blanda beneuolentiæ conciliatrix est etiam cum cœlitibus? an quia imitari facilius exempla recentia speraret se posse adolescentis studijs litterarum olim incumbentis? an quia vis quædam peculiaris inest ad sui amorem, ac imitationem trahendi lectorem, facta dictaque Diui recolentem? Nulla quippe dies abibat qua historiæ vitam describentis partem non percurreret, quàm attentè, ac frugiferè. Sacellum ipsi dicatum in Collegij Romani tēplo frequēter visendi æqua cupido, ac voluptas ante sacra ossa Vrna argentea sub arā cōdita diù flectere. Ibi orabat persæpe, nec auelli inde poterat, quoad dato signo ad gymnasium, vel domum redire cogeretur: mille

illi coleudi modos ingeniosa pietas suggesserat, ex quibus hic singularis, quod appetente sub adultum Iunium festa die solenni ritu celebrari solita, peruigilij plures horas in precibus ibidem traducebat; noctem verò ita partiebatur, vt binas horas super nudis asseribus quiesceret, an pateretur? tum acri diuerberatione artus cęderet, quam lectio vitæ Beati excipiebat, & hanc diuturna lectorum commentatio, vsqne dum diluculo ad sacrum epulum in eodem sacello sumendum reuerteretur. Quibus putas ibi delicijs cœlestibus fruebatur? quàm mellita, quam feruida cum Iesu, cum Matre Sanctissima, cum B. Aloysio colloquia miscebat? Planè non Vbaldinum iam, sed Aloysium alterum inde discedere dixisses, si consentaneam pietati vestem gestare licuisset; sed quod vita, & incolumitas,nō dederat mors obtinuit,profiteri videlicet B.Aloxsij imitatorem habitu,ac vestimento; quem moribus, & sanctimonia pridem expresserat, vt initio memorauimus. Hoc vnum ægrè habuit Societatis Iesu, & martyrij candidatū, quòd Iaponibus athletis, & martyribus inclitis accenseri non licuerit; sed vt miles delicatus de molli culcitra aduersus mortem luctaturus esset. Cæterum incredibile dictu est quanta cum lætitia nuncium eius exceperit, vt conclamatum, de salute à Medicis inaudijt, & quàm sollicitè ad eam obeundam se comparauerit.Ex Augustini monito haud decere Christianum hominem absque pœnitentia decedere, totius vitę noxas
rur-

rursus coram suo confessario retexere, cum dolore voluit, & B. Aloysij feruoris memor qui in postrema ægritudine obnixè à P. Prouinciali facultatem flagris totum corpus saltem aliena manu cædendi postulauit, sibi quoque vt idem concederetur obnixè precabatur; quod tàm liberè negatum est, quàm quod os, genasque colaphis tunderet, vti sanus insueuerat; ad singulorum dierum errata castiganda. Inter hæc mira pœnitentiæ vota, & ardorem caritatis cum febrili contendentem, audiebantur crebrę aspirationes ad cœlestem Hierusalem, & assiduæ gratiarum actiones de donis à Deo Creatore collatis, & ab hominibus, à patribus præsertim toto conuictus tempore acceptis, quoad Sacramentis omnibus munitus, non tam obijsse diem, quàm ad æternitatem migrasse visus est, quod initium narratiunculæ nostræ fuit à prolixioribus nobilium scriptorum decerptæ, & fide testium oculatorum, qui cum Vbaldino versati sunt firmatæ; & veluti sigillo supremi Imperatoris confirmatæ, cuius nutu factum credimus, vt corpus post octo, ab obitu menses incorruptum pij exploratores inuenerint, quò miraculo se publicè proderet Virginitas, quæ secretum in eo habitaculum sibi gratum delegerat.

Quasi


S. MATHEVS

P

Quaſi à facie colubri fuge peccatum Ecc- cleſ. 21. S. Auguſt. ſerm. 250. de temp. tom. 10.

Dicit aliquis, Homo iuuenis ſum, facio quod me delectat, & poſtea pœnitentiam ago. Hoc eſt dicere percutio me gladio crudeli, & poſtea ad medicum vado; & neſcit, quod in vnius horæ puncto vulnus accipitur, & vix longo tempore ad ſanitatem priſtinam reuocatur.



S. HENRICVS.

Beatius est in carne uitam imitari Angelorum, quam excar ne augeri numerum mortalium. S. August.

O, Quæ ſolitudines, & eremos, & clauſtra amas heroina cœleſtis, semperne ab aulis imperatorijs, regijſque exulabis? iniqua expoſtulatio: nam & has inuiſit, habitatque libenter, ſi non eijciatur. Teſtis Oriens vbi Marcianum, & Pulcheriam hoſpitatores habuit; teſtis, & occidens, vbi apud Henricum, & Chunegundam iucunde diuerſata eſt. Quales hi coniuges, qui antequam conuenirent, à Domini ſpiritu conuenti, pacta ſocietate condicunt, virginem ſeruare caſtam, & vitam Angelicam ſub mortali corpore æmulari? Hic ille Henricus eſt, Ducis Boiorum filius, ex Gyſela Burgundionum regis nata: ac vtriq; longa auorũ Principũ propago numeratur. In lucẽ editus Abrediaci haud procul Ratisbona pridie non. Maij Anno ſalutis cIↄlxxij. luſtralibus vndis à Sancto VVolfango Epiſcopo Reginoburgico inſperſus, ac ab eodem in pueritia ad pietatem informatus, eo cum fructu, qui ſæculum illud admiratione compleuit. Simul enim adoleſcentiam ingreſſus eſt generoſæ indolis ſpecimen dedit, quam modeſtia, benignitas, pudicitia comites illuſtriorem reddebant. A patris exceſſu regni habenas capeſſens tanta prudẽtia, & æquitate rexit, vt proceribus amabilis, populo gratus, Imperatori carus ex Duce rex, licet inuitus, fit creatus. Hinc poſt annos aliquot functo Ottone III. Imperatore in eius locum ſufficitur, & à Benedicto VIII. Pon-

Sur. t.4. die 14. Iul. Baron. in aubal. Et in martyr. citans alios, 14. Iul.

Pontifice Romæ inungitur. Præmonuerat suum clientem per quietem VVolfangus sexennio ante de euectione,& habuit Henricus in signum beatitatis,qua fruebatur in Cœlis. Somnum quippe intempesta nocte capienti obiecta species est VVolfangi radiosa in D.Emeranni templo, vbi ad illius sepulcrum orare sibi videbatur, iussitque,vt in aduersam parietis partem oculos converteret. Paruit illico, & duas syllabas, nitidis characteribus inscriptas vidit, nec quid portenderent intellexit, nisi post sexennium quando renunciatus Imperator fuit, & Augusti magnifica appellatione à Benedicto VIII. Romæ decoratus, & primus appellatus, quia alteri qui præcesserat, non mansit nomen Imperatoris, siue quia illud præ modestia recusauerit; siue aliam ob causam, quam alij non probantes primum vocauere,& hunc nostrum secundum; quo tamen nullus in sanctitate Imperator prior fuit, & in coniugali virginitate quis secundus fuerit? Sanè diuinitus electum, non modo principum, populorumque consensus in electionem conspirantium, argumento fuit: sed etiam facinorum præstantium exitus declarauit. Inter quæ non postremum locum obtinent insignes victoriæ in varijs orbis partibus de hostibus potentissimis relatę, non tam armatorum numero, ac robori, quam pietati, & eximiæ in Deum confidentię adscribendę. Prima adeo illi cura in instruendo exercitu, lumen opemque à Deo quærere: milites ad

pur-

purgandas animi sordes, & sacram Eucharistiam sumendam, suo exemplo, & exhortatione incitare, præire prælio mutuatis à sacro psalte versibus, apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius &c. quibus animatæ cohortes tamquam leones in aduersas acies irruebant; & conficiebant. Sane præsentem habuisse in pugnando cœlitum manum clara aliquando apparitione demonstrare libitum ipsis, cum antesignanos agere conspecti sunt Angelus Domini, & patroni martyres Laurentius, Georgius, Adrianus, cuius gladio inter sacra lipsana Ratisbonæ asseruato, latus cingere dimicaturus in acie reuerenter, iuxta, ác confidenter Henricus consueuerat. Cæterum in bellorum aggressione illud spectabat vnum, vt imperij sui iura tueretur, non vt aliena inuaderet. Ideoque non nisi lacessitus contra rebelles castra mouit vnquam, & domuisse, ac ad officia compulisse contentus sæuire vlterius desistebat, etiam cum iustæ vindictæ nomine, victoria vti legitime posset, hoste compresso, sedatoque tumultu amabat magis ad pacis redire curas, quibus regni tranquillitati, Ecclesiæ splendori, Dei gloriæ consuleretur: quò pertinent sedium Episcopalium bellorum vastitate deiectarum instauratio nouarum in vrbibus præcipuis institutio; sacerdotum collegia amplificata, aut fundata, religiosorum cœnobiorum extructio. Sed erga Sedem Romanam singulariter eius libe- Ps. 67.

S ralitas

ralitas enituit, cuius patrimonia à Pipino Rege, à Carolo Magno, ac Ottone Imperatoribus collata, amplissimo diplomate confirmata æternum voluit, illudque Benedicto VIII. Summo Pontifici extradidit, quo eodem diplomate designauit annuū censum ab Ecclesia Bambergensi soluendum summo Pontifici, & mentio singillatim facta equi albi phalerati ab eius loci Episcopo offerendi centum marcharum argentearum, forte ne munus equi transiret cum grauamine alimoniæ, quo gratius acciperetur: & tenuit tributi pendendi consuetudo ad Leonem vsque Nonum qui pacta cum Henrico Corradi Imperatoris filio conuentione pensionem illam commutauit cum Beneuenti dominio, quo hactenus potiuntur Pontifices, & abdicato iure, q. d. in Bambergensem Henricus donauerat Benedicto in solatium calamitatum, quas à Gregorio per vim intruso ipse expulsus sustinuerat. Quæ calamitas hoc etiam vertit bono toleranti, quod cum in Germaniam ad Imperatoris opem implorandam aduersus tyrannum Pseudopontificem descendisset perhumaniter, ac honorificè exceptus, mansit ibidem quoad Romam reuersus est inter pollicitationes amplas, quibus consona facta successere, quando accedens Imperator ad vrbem cum armato milite numeroso Gregorium inuasorem de sede deturbauit, eique legitimum Pastorem Benedictum restituit, & ab eodem viciſsim Imperiali diademate coronatus est, quod

Baron. ad ann. 1109.

paulo

paulo post Odiloni Abbati Cluniacensi viro Sanctissimo in Monasterio SS. Bonifacij, & Alexij ad montem Auentinum commoranti dono dedit, is verò fame grassante vendidit vt pretio pauperes aleret. Vt mirum proinde videri non debeat, si post annos aliquot rogatus ab eodem rursus in Germaniam proficisci non recusauerit, vt Bambergensem Episcopatum recens erectum sua præsentia confirmaret, decoraretque ac templum in S.Stephani honorem ædificatum consecraret. Sed potissima causa cur ad iter longum, & arduum subeundum adduci se permiserit ea fuit vt Imperatorem aduersus Græcos Apuliæ fines, atque adeo Romanos infestantes exercitum instrueret, qui & Capuanũ Ducem pro Basilio Imperatore Constantinopolitano potenter domuit, pacemque Italiæ & Ecclesiæ tranquillitatem restituit autẽ creditum est, non ex vano, magnam in victoria partem S.Romualdi preces habuisse, hunc enim in Styriæ montibus cum suis monachis eremiticam vitam agentem videre, & alloqui Henricus in Alpium descensu optauit, atque ad se accedenti reuerenter assurgens, ò vtinam, suspirans dixit, anima mea esset in corpore tuo, & saluberrimis viri Dei consilijs auditis monasterium Amiati ad habitandum religiosæ suæ familiæ tradidit, & vicem orationum pro fœlici belli successu poposcit, quas salutare fuisse opportune cognouit. Vt victoriam assecutus est, non prius Campania abeundum putauit, quam mon-

tem Cassinum celeberrimum religione locum inuiseret, tum vt Sanctum Benedictum hac obsequij significatione coleret; tum vt nephritico, quo vexabatur, dolori remedium aliquod, nequicquam à medicamentis quæsitum, in eius ope reperiret. Stetit diù orans ante Diui tumulum, ac licet deuotè, pleque suam incolumitatem commendaret, dubitabat nihilominus ob varios opinionum rumores, an id loci corpus Benedicti quiesceret, an aliò esset translatum ad Floriacum videlicet cœnobium in Diœcesi Aurelianensi, vt rebantur aliqui. Verum non diù hærere ancipitem permisit sanctus, eadem quippe nocte decumbenti inter somni, vigiliæque confinia visendum se clara luce circumfusum obtulit & certiorem de sui corporis præsentia in eo templo reddidit, ac veritatis signum calculi eiectionem fore dixit, quem mane cum lotio eiectum iri non dubitet, & protinus videri desijt. Non fuisse inane somnium monstrauere, lapilli tres per vreteres transmissi, & sanitas restituta, cuius testes aulici fuere, cœnobitæque omnes; imo & Pontifex ipse Benedictus, qui ob id cum Henrico certauit in monasterio beneficijs cumulando, alter nimirum spiritalibus; temporalibus alter donariorum prætiosorum, vterque propensa in S. Patriarcham eiusque filios affectione.

Neque verò hoc fuit miraculorum vltimum, quibus fauere cœlum suo candidato perrexit, vt in clarissimo virtutum cætera-

rum triumpho, suo quoque curru virginitas incederet, & palmas etiam suas in pompa magnifica circumferret. Quis crederet vocatam in suspicionem violatæ fidei sponsalis Chunegundem coniugem integerrimam, & pro tali habitã ab ipso Henrico, quoad tenebras offundente stygio veteratore, & hinc aspectui illudente, inde per obtrectatricē linguam venena maledicentiæ fundente, mitissimi Principis præcordia felle amaritudinis, & angoris inspersa sunt, & vultus, ac sermo cum Chunegunda immutatus, haud absque acerrimo doloris sensu, vbi causam mutationis intellexit? Neque tamen consternata animo est, aut in suæ innocentiæ defensione desperandum sibi existimauit; sed Susannæ exemplum imitata causam suam commendare instituit Deo in ieiunio, ac lacrymis, & exaudita est deprecatio eius. modum namque excogitauit purgandi calumniam, relatu horridum & temeritati obnoxium, nisi menti cœlitus fuisset iniectus. Rogauit afferri ferrum candens (vomeres accensos alij vocant) & precatione ad eũ facta, qui vertere potest ardorem ignis in ventum roris flantem, ob testatione facta coram Henrico, & alijs nobilibus virginitatis vndecumque illibatę, & ne cogitatione quidem violatæ, audacter, inflammantes laminas ferreas nudas plantas immisit, eas calcare tandiù perstitit innoxiè, dum obstupefactus Henricus iussit absistere, & calceamenta resumere. Referunt alij non pedibus calcasse, sed manibus ignitum fer-

 rum

rum tractasse, veluti rosas molliores; At in miraculi narratione scriptores quique conueniunt, vt citra controuersiam facto congruat illud Psaltes, Ps. 16. Igne me examinasti; & non est inuenta in me iniquitas. Fama est, neque leui nixa fundamento Henricum diuinæ protectionis portentum suæ obiurgationis argumento vertisse, ac vehementer indoluisse, quòd in tam conspicua probitatis vxoriæ luce faciles aures insimulantibus dederit; & suspicioni aditum aperuerit, cui abolendæ signa de cœlo necessaria fuerint. Atquì in promptu est existimare permissam à Deo tentationis procellam, vt palam niteret pudicitiæ virgineæ margaritum, quod suo contemptum splendore, latenter in vase fictili promicabat, atque vt testatissimum ad posteros veniret miraculum, quod Imperatoris sigillo, fideque publica muniretur. Accessit morientis testimonium, hæreditate qualibet carius æstimandum; quo cælatam ante hac mutuam cum coniuge continentiam solis cælitibus notam, innotescere insuper hominibus æquum duxit Henricus. Cum enim in morbum incidisset, qui fuit vitæ postremus aduocari iussit quot per tempus licebat Chunegundæ propinquos, & vna cum illis Episcopos, ac Abbates nonnullos, & lecto circumstantes ita ferme allocutus est. Ego quidem viam vniuersæ carnis ingredior; sed non prius abeo, quam sacramentum pando, cuius nemo mortalium præter Chunegundam nostram conscius est. Cælasse hactenus pru-

den-

dentiæ, & humilitatis duximus, non reuelare saltem appetente morte citra diuinæ gratiæ iniuriam vix possumus. Nullus vltra timori superbiæ locus, vbi cogitatio parendi ante tribunal Christi mentem occupat; & diuinæ benignitatis propalandæ cupido ad loquendum impellit. Chunegundam virginem in sponsam accepi, virginem reddo, virginem viduam recipite. Conuenit inter nos corporum nostrorum victimam immaculatam creatori libare, & sub honesto coniugij velamine pudicitiæ florem tegere, ac tueri: fauere nostris votis virginum parentes Christus, eiusque mater, & tamquam fratris, ac sororis consuetudo nostra decurrit. Hærere ad inexpectatam reuelationem præ stupore adstantes, flere alij præ teneritudine, ac intimo sensu pietatis; laudare cuncti diuinam bonitatem, prædicare potentiam, quæ sola inexorabiles conclauium regiorum fores virginitati reserat, vbi miraculis agere cum regibus statuit. Ipse profecto Imperator aduentum Domini in horas expectans, spei, ac lætitiæ plenus properabat in occursum eius, & dulcia ex sacro vate carmina modulans repetebat identidem: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Ita postremis Ecclesiæ sacramentis, officijsque communitus inter pia vota, ac laudes efflauit animam pridie idus Iulij anno Domini 1024. Corpori sepultura data in templo maximo Bambergensi, quod ipse ædificauerat Episcopatu ornarat, redditibus amplissimis ditauerat: elatum re-

gali pompa funus, & sepulcrum in mausolei formam, decusque paratum.
Illud tam multis miraculis illustrare cœpit; ac perseuerauit Dominus; vt tandem Eugenius Tertius eorum fama permotus Principũ multorum supplicationibus exorari se passus sit, vt de Apotheosi tractatio institueretur, eaque legitimè absoluta, sanctorum catalogo adscripsit anno salutari 1062. ab obitu 38 vt haberet orbis terrarum, quod miraretur; Reges, ac Imperatores, quod imitarentur exemplar sanctitatis, & singularis ergà Sedē Apostolicam venerationis, obsequij erga Episcopos, & Sacerdotes.

Hæc enim cuncta ab ipsis Deus exigit, quæ supra mensuram exactam soluisse gestijt Henricus aliàs non raró, tunc luculenter in consilio Francfordiens: vbi Episcopos circumstantes allocuturus flexit genua, nec adduci se patiebatur ad surgendum quoad Vigisilus Mogontinus Præsul, & conuentui Præfectus rogatum, vt surgeret; dextera erexit, & cum toto illo senatu sacro loquentem audiuit. En tibi nouum Constantinum in Francfordiensi Synodo, non dabis mihi alterum Henricum in Nicæna. Illa excelsa, ac sublimia, quæ Henricum supra humanitatem euectum, Angelis equarunt Virginitatis decora, quæ Deus arbitrio reliquit hominum, & non capiunt, nisi quibus datum est nosse, ac amare pretium eius. Certè Imperatori nostro datum fuit à cœlesti Patre capere excellentiam tantam, adamare, amplecti

ctis cunctis mundi delícijs præponere; gloriosior hac vna redditns, quam victorijs, in Italia, Germania, Pannonia, Gallia de potentissimis hostibus reportatis.

Elogium Henrici habet Romanum martyrologium 14. Iulij in hæc verba.

Bambergæ S. Henrici primi Imperatoris, qui cum vxore sna Chunecūde perpetuò Virginitatē seruauit, & S. Stephanū Hungarorum Regem, cum vniuerso ferè eius Regno ad fidem Christi suscipiendam perduxit vbi Baronius plures refert graues auctores; qui præclarissima eius gesta scriptis mandauere, nec ab ipso reticetur pars eorum in Annalibus. Nobis satis est indicasse pauca, quę gloriam. & admirabilitatem ostendunt Virginitatis de Imperatoribus triumphantis, & accensenti ipsis Reges, vt mox demonstro;



Quæ-



S. SIMEON.

Q

Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Es. 45.

Quod si per bona opera quæritur Deus, ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, præsertim quia Dominus aperte pronunciat venire noctem, quando nemo potest operari. S.Bern. serm. 75. in Cant,



S EDVARDVS Rex Angliæ.
Virginitas est soror Angelorum, Regina uirtutum, possessio omnium bonorum. S. Cypr.

S. Eduardus Angliæ Rex.

NOn ille, qui nesciuit thorum in delitijs, & pari, cum coniuge voluntate Virginitatis libamen creatori obtulit, & miraculis clarus anno 1066. ad superos migrauit: sed alter prior tempore, qui facem huic suo cognomini præiuit sanctitatis, & exemplo ad imitationem Castitatis incitauit. Filius hic fuit Edgari Regis non minus virtutibus, quam rerum domi, forisque gestarum gloria conspicui, & Elfridæ Ducis Angliæ Orientalis filiæ, haud absimilis à marito probitatis fœminæ, quæ vita excedens, locum fecit secundis nuptijs Elsdritæ exitialis nouercæ Eduardi. Non defuere pupillo educatores boni, à quibus in pietate, ac litteris eruditus, patri in Regno, ac virtute successit. Hoc ipsi post illius obitum tanquam primogenito debitum, à populorum insuper consensu, ac desiderio, velut raræ indolis, atque spei eximiæ deferebatur, nequicquam refragantibus proceribus aliquot, quos Elsdrita malis artibus circumuenerat, vt eorum ope filiolum suum natu minorem contra ius, fasq; obtruderet, & solio admoueret. Nam Sanctus Duarstanus Cantuariensis Episcopi, & Osualdus, alijque Episcopi, melioribus è nobilitate non paucis consentientibus, iniquæ nouercæ ambitionem detestandam ægerrimè ferentes Eduardum in Regem inunxere, ac legitimum Edgari successorem declarauere. Coronatus, & sceptro armatus cœpit ex alto cla-

Baron. ad ar. 978. to. 10. Sur. to. 3. 8. Maij.

clarius emicere, & iunctam decoræ iuuentæ senilem prudentiam in regimine demonstrare. Pectus quippe à teneris, vsque vnguiculis disciplina cultum, & Domini timore imbutum, ad regnum attulit; ac tenorem, quē sub prætexta erat exorsus, sub diademate non mutauit. Primæ adeò curæ in administratione Religio, Iustitia, Pax, quibus subseruirent annona, miles, armorum copia, & apparatus, quæq; alia vtriq; tempori bellorum, & pacis necessaria sunt. Adeuntes ad se humaniter excipere, recta consilia pro personarum conditione dare, eleemosynis pauperes largiter subleuare, & id generis alia multa præstare ita satagebat, vt omnibus proprię salutis, ac perfectionis studium anteferret. Orationi ita deditus erat, vt horas illi assignatas non pateretur ab occupationibus surripi: gustus angelici panis, famem illius acuebat, fames frequentiam sumendi inducebat, frequentia arctam cum Deo vnionem pariebat. Solemne ipsi ad prudentiorum consilia in gubernatione recurrere, S. Dunstani in primis, quo fiebat, vt inconsultum nihil, aut præposterum in aula Regia statueretur, quod ansam obtrectatoribus præberet adolescentiam Regis criminandi, cuius cani parebant in regendo sensus. Quadriennium propemodum tenuit cursus iste, vnde regno tranquillitas, & fœlicitas manare perseuerabat, ni furijs armata Megæra crudeli astu abrumpebat: Alienus erat castissimus iuuenis ab inanium spectaculorum ludri-

dricis, & oblectamentis, quæ maculare animam, & fœdare virgineum nitorem possent. Horũ vice; mos illi, ac voluptas inuisere plerũq; cœnobia, quæ à patre non pauca extructa fuerant, ac ditata reditibus, ibique pijs alloquijs cum viris religiosis mentem occupationum mole grauatam recreare. Exibat etiam interdum ad venationem in syluas eò libentius, quò iucundius ea solitudine delectabatur, quæ oculis materiam objiciebat, diuinam sapientiam, ac bonitatem in arborum, quadrupedum, ac volucrum varietate, & pulchritudine contemplandi, atque laudandi. Die igitur 16. Calen. April. ann. Domini 981. paucis ex aula secum assumptis egressus, post longam excursionem ad Villam in Coph vulgo dictam, oppidò fessus peruenit, non tam vt quiesceret, quàm vt Ethelredum fratrem ibi cum Matre commorantẽ inuiseret, quem licèt non vterinum medullitus amabat. Excipitur à Regina vidua blandissimè, & ad quiescendum peramanter inuitatur, exscendere renuenti, inter suaues amplexus, & oscula mellita decenni fratri libata, offertur poculum; nec à sitiente respuitur; sed ò scelus infandum, dum suauiter hauritur, immaniter à Sicario Nouercæ Emissario pectus transuerebatur. Proripit se confestim, & concitato cursu properat redire ad comites, quos in sylua non adeo remota reliquerat; Ast sanguine vbertim defluente, & vulnere dirè excruciante in medio cursu equo dilabitur, & expirat.

 Quo

Quo cognito impia Iezabel ministrum ablegat, qui cadauer alicubi condat, ne inueniri ab vllo mortalium vllo tempore queat. Paret ille, & humi iacentem, insontem victimā in propinquū tuguriolū infert, & multo stramine coopertum à mortalium oculis subtraxisse certò ratus, cædis vestigia, & sanguinem respersum vndequaque abradit, ac domum reuersus tuta esse omnia, ac tecta Reginę nunciat. Inanis assentatio, Etenim sequenti nocte lux copiosa de cœlo labens domunculam pro sepultura delectam irradiauit; & cęcam à natiuitate mulierculam ibidem quiescentem illuminauit. Hæc non tardauit Elfdritam de toto euentu certiorem facere, seu vt morem gereret iubenti nunciare, si quid noui id loci accideret; siue vt gratificaretur sponte suæ dominæ miraculi denuntiatione, ac modi per lucem cœlestem patrandi, narratione. Illa timere ne, an insanire porrò pergens? silentium narranti seuerè indicit, & per conscios parricidij famulos obrutas straminibus exuuias in profundam paludem demergi mandat, si fortè etiam facti execrandi memoriam demergat, obruatque. Ipsa interim abolendæ suspicionis patratæ cædis in pagum denis distantem milliarijs abscedit, & conscientiæ sceleratę aculeis agitatur, dumq; risum foris simulat, intus timore cruciatur; qui mox nouo ostento auctus, vix non enicauit. Rursus enim lux igneæ columnæ speciem præferens de sursum dem issa paludi incubuit, & latè splendescens orę illius

lius habitatores ad videndum euocant, qui diuinum aliquid sub aquis illis latere arbitrati, rimari curiosius occœpere. Horrent ac attonitis similes hærent; mox extractum corpus cœni sordibus elutum capulo componūt, in B. Virginis templum deportant, & non absque multa deploratione, quam possunt honorificè sepulturæ mandant. Nihil morata est diuina bonitas Innocentis Abelis gloriā prodigijs notam facere; nam ad tugurij, vbi primum contectus fuerat, latus limpidissimæ fons aquæ placida scaturigine prodijt ad varia ægritudinum genera salutaris, cui diu fons S. Eduardi nomen mansit; Et ad sepulchrū in B. Mariæ tam frequentes corporum curationes in dies sequebantur, vt breui per vniuersam Britanniam, & flagitij rumor, & miraculorum fama dissipata fuerit. Ea propter communi consensu deliberatum à Dynastis, & Prouinciæ Præsulibus, vt in celebriorem locum, ac augustiorem depositum illud sacrum transferretur; & delectum est templū Monasterij VValtoniensis Scaphtoniæ Ciuitatis, tum quia ab Eduardi abauo Elfrido ædificatum; tum quia id temporis habitaculum erat Erithæ sororis, tantæ sanctitatis monialis, vt post obitum in sacros fastos sit relata. Indicta igitur solemnis translationis die conuenere Episcopi, & reliqui regionis Antistites cum suo quiq; clericorum agmine, templumq; S. Mariæ ingressi, integrum Eduardi corpus, sanumque, nisi quà ante annum vulneratum fuerat, reperere. Id loculo ritè cō-

positum , ornatumque succolantibus humeris Sacerdotes Scephtoniam instituta supplicatione detulere . Processere obuiam VValfrida Monasterij antistita, & cæterę sanctimoniales cum Edhita sorore,ac inter diuinas laudes , hymnosq; sacros funus , vel triumphum potius comitatæ sunt ad sepulchrum vsque magnificè paratum ; in quo prius quàm pretiosa Sarcina conderetur , relinqui oportuit aspectui , osculis , ac venerationi affluentis populi , & vberrimis lacrymis , quà pietatis , quà doloris scelus impium tacitè detestantis , ac summam Dei bonitatem in declaranda innocentis adolescentis sanctitate , & illibata sub Regio diademate virginitate collaudantis ,

Quæ licet connumeratis mirificis euentis abundè clarescceret , aliorum insuper mirabilium splendore illustrior reddita toti Angliæ Regno , atque adeò cæteris nationibus innotuit , tanta cum admiratione , vt nihil esset frequentius in ore hominum , quàm sanctitas Eduardi; genus mortis; lux de cœlo tenebras sepulturę dispellens ; sanitates eius intercessione testitutæ; quibus initium factum à binis ægris ; qui attractis manibns , pedibusque admoti feretro in templo Scephtoniæ memorato , illico persanati multitudine inspectante amouere se inde suis viribus , & ambulare valuerunt . Quo rumore tam frequenti vapulabant aures , & scelestæ interfectricis cor , quod postmodum emollitum , & dolore percussum coniecere nunnulli , quod

accurrere, & ipsa ad VViltoniense Monasterium, confecta pudore, constituerit: Ast alij ab euentu sinistro feralis animi pertinaciam verosimilia arguebant: Etenim equus generosus, ac pernix, quo antehac vtebatur prompto, & ad nutus obsequente, tunc ab illa insessus hæsit, instar columnæ immobilis, nec impelli ad progrediendum calcaribus, vel virga valuit. Horrere Regina vehementer, & diuinæ vltionis initia persentiscere. Obstupescere assectatores, & ominosam belluę nusquam aliàs refractariæ, obstinationem æstimare. Et accessit paulò post admirationi pauor, ac tremor, qnando suffectus equus alter non secus, ac prior restitit; ideoque excedens infelix, rubore confecta pedibus iter conficere aggressa hilum prouehere non potuit; & ter conata mouere plantas, ter vi occulta obsistente firmata est, & gradi vetita; vt proinde consternata animo, & pudore suffusa, consistere sit coacta, prorsus indigna conspicere vernantem hactenus in loculo florem, quem recidi per immanem crudelitatem, barbariemque ambitiosa mandauerat: vt liqueret non pęnitudine criminis tactam ad numen propitiandum iter illud arripere voluisse; sed curiositate ductam, ad irritandum, pietatem simulasse.

Cæterum, vt satis desiderio, ac deuotioni populi indultū prope aram maximā corpus honorificè conditum est ad boreale latus; ibique vnius, & viginti annorum spatio mansit, quoad loculum quotidie in sublime eleuari

conſpiceretur coram adſtantibus ; quibus portenti cauſam inueſtigantibus, nec inuenientibus,non nemini ſuo clienri Diuus viſendum ſe præbuit, iuſſitque Antiſtitam moneri, diuini placiti eſſe, vt in locum editiorem transferretur. Paruit cliens, Antiſtita vero Ethelredum fratrem tum Regno potientem admonendum cenſuit, cuius opera magnus Eccleſiaſticorum, & Primatum conuentus ad condictam mutationi diem adfuit in Monaſterij templo. Reſeratur arca conditoria ſacri depoſiti : exhalat illico fragrantia, qualem non Pęſtani flores, non Sabęa thura, non opobalſama vlla terrena inhalarent: Attollunt infulati Præſules ſacrum onus, & in loco editiore inter lipſanothecas ibidem reponunt, vbi per multa ſæcula adſeruatum eſt quoad proximè præterito ſeculo erũpens Erebo hæreſis,ſacra,profanaque omnia euertit,& Regnum Angliç, olim Angelorum, ſedem fecit Dęmoniorum.

Sed reliquit in te Dominus ſemen, ò Anglia eorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, verè Iſraelitarum ſemen, ac martyrum qui fidem catholicam, & amorem Chriſti tormentis, ac ſanguinis effuſione Orci miniſtris probant. Clamat hic cum ſanguine iuſti Abel ad Dominum, & clamor aſcendit ad aures eius reſpondentis,expectate modicũ, donec impl atur numerus fratrum veſtrorũ. Nimirum redituros ſerenos dies, & antiqnæ Religionis amœnam lucem ſignis oſtendit, nunc quidem obſcuris, ſed olim reuelandis i

cum reuelabitur iniquitas hæresis, & videbit gaudebitq; florens regnum restituta veræ religioni templa, aras templis, cruces, calices, imagines, triaras, luminaria aris, suum cultum crucibus, & ornatui reliquo fructum pietatis, & splendorem antiquitatis.

Interim ò fortes athletæ Christi, qui in medio nationis ab hac deprauatæ, persecutionis vrgentis ferociam turbulentam, vt cũ S. Cypr. loquar) stabili congressione frangitis parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis, rapinæ honorum vestrorũ, exsilij, infamationis, sustinete modicum donec impleatur numerus fratrum vestrorum, nec dubitetis presentes tenebras confusissimæ mixtionis zizaniorum, ac sectarum in lucem purissimæ veritatis, & vnitatis catholicæ cõcessuras. Tunc licebit cum eodem S. Cypr. gratulari vobis, & veris Pastoribus secundum luporum deturbationem iucundum fuerit oues suas caulis catholicæ restitutas ita alloqui. De lapsis init.

Pax ecce dilectissimi fratres: Ecclesiæ reddita est, & quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impossibile videbatur, ope, atque vltione diuina securitas nostra renata est. In lætitiam mentes redeunt, & tempestate pressuræ, ac nube, & caligine discussa, tranquillitas, ac serenitas refulserunt. Dandæ laudes Deo, & beneficia eius, ac munera cum gratiarũ actione celebranda, qaãuis agere gratias, nostra vox, nec in persecutione cessauerit, & mox. Exoptatus votis omnium dies venit, & post longæ noctis horribilem, tetramq; caliginẽ Domini luce radiatus mũdus eluxit &c.

conſpiceretur coram adſtantibus; quibus portenti cauſam inueſtigantibus, nec inuenientibus, non nemini ſuo clienti Diuus viſendum ſe præbuit, iuſſitque Antiſtitam moneri, diuini placiti eſſe, vt in locum editiorem transferretur. Paruit cliens, Antiſtita verò Ethelredum fratrem tum Regno potientem admonendum cenſuit, cuius opera magnus Eccleſiaſticorum, & Primatum conuentus ad condictam mutationi diem adfuit in Monaſterij templo. Reſeratur arca conditoria ſacri depoſiti: exhalat illico fragrantia, qualem non Pęſtani flores, non Sabęa thura, non opobalſama vlla terrena inhalarent: Attollunt infulati Præſules ſacrum onus, & in loco editiore inter lipſanothecas ibidem reponunt, vbi per multa ſæcula adſeruatum eſt quoad proximè præterito ſeculo erūpens Erebo hæreſis, ſacra, profanaque omnia euertit, & Regnum Angliç, olim Angelorum, ſedem fecit Dęmoniorum.

Sed reliquit in te Dominus ſemen, ô Anglia eorum, qui non curuauerunt genua ante Baal, verè Iſraelitarum ſemen, ac martyrum qui fidem catholicam, & amorem Chriſti tormentis, ac ſanguinis effuſione Orci miniſtris probant. Clamat hic cum ſanguine Iuſti Abel ad Dominum, & clamor aſcendit ad aures eius reſpondentis, expectate modicū, donec impleatur numerus fratrum veſtrorū. Nimirum redituros ſerenos dies, & antiquæ Religionis amœnam lucem ſignis oſtendit, nunc quidem obſcuris, ſed olim reuelandis

cum

cuiu reuelabitur iniquitas hæresis, & videbit gaudebitq; florens regnum restituta veræ religioni templa, aras templis, cruces, calices ;imagines, triaras, luminaria aris,suum cultum crucibus, & ornatui reliquo fructum pietatis, & splendorem antiquitatis.

Interim ò fortes athletæ Christi, qui in medio nationis ab hac deprauatæ, persecutionis vrgentis ferociam turbulentam, vt cũ S. Cypr. loquar) stabili congressione frangitis parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis, rapinæ honorum vestrorũ, exsilij, infamationis, sustinete modicum donec impleatur numerus fratrum vestrorum nec dubitetis presentes tenebras confusissimæ mixtionis zizaniorum, ac sectarum in lucem purissimæ veritatis, & vnitatis catholicæ cõcessuras. Tunc licebit cum eodem S. Cypr. gratulari vobis, & veris Pastoribus secundum luporum deturbationem iucundum fuerit oues suas caulis catholicæ restitutas ita alloqui. De lapsis init.

Pax ecce dilectissimi fratres: Ecclesiæ reddita est, & quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impossibile videbatur, ope, atque vltione diuina securitas nostra renata est. In lætitiam mentes redeunt, & tempestate pressuræ, ac nube, & caligine discussa, tranquillitas, ac serenitas refulserunt. Dandæ laudes Deo, & beneficia eius, ac munera cum gratiarũ actione celebranda, qaãuis agere gratias, nostra vox, nec in persecutione cessauerit, & mox. Exoptatus votis omnium dies venit, & post longæ noctis horribilem, tetramq; caliginẽ Domini luce radiatus mũdus eluxit &c.

S. VVenceslaus Boemiæ Rex.

EN candidum, & odorum lilium è fœtido; & olente caudice pullulans; VVenceslaus Virgo, & martyr candore nitens, pietatis odore fragrans martyrij cruore purpurascens ex Drahomira Lucensi, siue vt alij vocant Drabonucia impia, & ad scelera proiecta parente natus. patrem habuit Vradislaũ, seu VVladislaum Boemiæ Ducẽ; auos Borsiuoium, & Ludmillam fidei catholicę in Boemia propagatores, quam Drahomira labefactare nitẽs cultores eius data occasione vexabat; & idem venenum odij per partes fundebat, quod olim rerum posita totum intemperanter euomuit. Id maturè prę uidens Ludmilla pia in paucis fœmina, vt nepotes VVenceslaũ, & Boleslaum natu minorem perniciosæ matris educationi subduceret, officiosam salutationem obtendens Pragam profecta, humanitate, modestia, obsequio lenire, ac demereri nurum studuit, vt filiolos ipsa apud se haberet, aleretq; donec adultos Regiæ paternæ restitueret. Quæ multum petere ausa est, quod magis optabat, à genitrice impetrauit; VVenceslaum videlicet primogenitum, & ingenij mitioris, & genij ad honestatem propensioris secum abducere permissa est. Prima adeo cura fuit probos, ac eruditos magistros quærere, à quibus tenera pueri ætas litterarum rudimentis, & christianæ disciplinæ præceptis imbueretur: tũ verò

Baron. in annal. ad an. 938. & in martyr. 28. Sept. Sur. tr. 6.

vt

vt ex vmbra priuatæ institutionis in lucem prodiret publicæ exercitationis Budecum transmisit ad Academicum Sacerdotem Nicetum nomine, doctrinę fama illustrem, vt sub eo doctore adolescentiam virtute, & sciẽtia excultam iuuentæ, ac Regni gubernaculo pararet. Respondit auiæ votis nepotis sedulitas, & istius profectus præceptorum diligentiam, industriamque superauit. In puero, in adolescente, in iuuene nil puerile, nihil iuuenile præter ætatis florem, & indolis amabilissimæ viriditatem cernebatur, Grauis erat moribus, fronte serenus, sermone cautus, eloquio blandus, affabilitate dulcis, amator pauperum, ad omnium virtutum opera naturæ benignitate, gratiæ beneficio procliuis: & fructus istiusmodi bonorum vultus pulchritudo, & enitens generosę stirpis decor gratiores reddebant.

Regno admouetur VVenceslaus.

VRadislaus in ęgritudinem incidit, quæ postrema fuit, & testamenti, ac Regni dispositionis admonuit. Ius illius ad VVenceslaum, vtpotè Boleslao maiorem deuoluebatur; sed cura gubernationis interim Ludmillæ relicta, perspectæ integritatis, atque prudentiæ, dum hæres id ætatis esset, ac virium, quæ regiminis ponderi sustinendo pares essent. Malignè tulit Dabronucia mulier superba, & ferox se pupilli matrem auiæ posthabitam, & iure, an iniuria nihili pendens

dens

dens, inuadit imperium, quod quidem sæuum in cunctos exercuit, sed aduersus Christianos in tyrannidem intolerabilem vertit. Hos exilio, illos morte damnare; alios spoliare bonis; tormentis alios torquere; tygridem denique in Dei cultores agere: Diù tamen sceptrum tenere, & habenas transuersum flectere, improbæ haud licuit, nam primatum voluntate resignare coacta est VVenceslao successori legitimo, qui ne detrectaret, auiæ suasione inductus est. Initio statim, vt fratrem, matremque demereretur insignem Regni prouinciam Boleslauiam appellatam, vltra Albim fluuium, in qua liberè dominaretur, Boleslao assignauit, parentem verò ipsi adhærentem; quibus potuit beneficijs prosecutus est; sed placare non valuit. Siquidem Tymam, & Simonem sceleftes homines; & ad parricidia paratos in castrum Dhetinu vulgo dictum submisit, qui Socrum id loci commorantem improuiso aggressam strangularent. Alij aliter sicarios appellant, barbaris nempe vocabulis Iumanes, & Cumanes, qui promissis, & pretio conducti impium facinus patrare non reformidarunt, & crudelitatem sacrilegio cumularunt: quippe sacellum ingressi vbi Sacerdos Paulus nomine sacris operatus anum venerandam angelico pane, & Exomologesi ad necem se comparantem munierat tanquam lupi præferoces agnam mitem, & innoxiam immaniter suffocauere. Aequum, iusque poscere videbatur, vt nefarium scelus acri

pœ-

pœna vindicaretur: & non deerat, qui VVenceslaum ad eam inferendam incitarent; sed prudens iuuenis momentis hinc inde perpensis, & re Domino precibus commendata; tandem satius duxit summo numini criminũ vindici, curam vltionis relinquere; quam propriȩ genitricis vindictã agere; & pacem tranquillitatemq; publicam turbare. Dissimulato igitur dolore, ac indignatione, reliqua Christiani Regis munia exsequi instituit, & catholicæ Religionis ante omnia cultum promouere, templa instaurare, Sacerdotes accersere. Et quod rarò in magnatum aulis contingit, ipse sibi carnis mortificationem adamare; cibi, potusque parcitate delectari, pernoctare in oratione, diuinarum horarum recitationi interesse, quæq; alia virorum Sanctorum propria facere, ac pati fortiter. Eam ob causam, apud Populos Famam pij principis, religiosi ducis, honesti iuuenis sibi conciliauit.

At quod iniqua æstimatio est huius mundi sapientum, quæ Dei sunt non percipientium & altius terra non intuentium, ineptum regimini plerique dictitabant, atque globulis precarijs euoluendis, quàm armis, si sors ferret, tractandis, aptiorem esse. Qua vana opinione delusus Radsslaus Gurinensis, aliàs Cutmensis Princeps nulla lacessitus iniuria, nulla iusta causa prouocatus; sed acquirendi dumtaxat auiditate incitus, cum ingenti exercitu irrumpit in Boemiam, agros deuastat, prædas agit, cuncta in suam potestatem, dominium-

miniumq; rediðere conatur. At non tardus, neque segnis in milite cogendo fuit VVenceslaus, & bacchanti furori voluntarij hostis occurrere, ac impetum cohibere. Par generosi, ac prudentis Principis specimen dedit, quando præuisa multorum cæde secutura animosè Radislaum conuenit, & ad vitandũ commune malum ex militari conflictu vtrique parti impendens singulare certamen obtulit, in alterutrius dumtaxat, vel vtriusque perniciem cessurum. Conditione promptè ab Aduersario accepta, loco, horaque indicta comparent armati ambo; ast armatura longè dissimili: ille cataphractus hasta,& machęra minas, ac terrorem spirat; hic lorica supra cilicium indutus gladio succinctus, & cruce munitus intrepidè fit obuius irruẽti in se aduersario; dixisses nouum Dauidem in nomine Domini Exercituum aduersus Philistęum in arenam descendere, & hostem prosternere; nisi quod VVenceslai victoria incruenta ita Radislaum prostrauit, vt simul erexerit. Etenim hora instante pugnę cum iam iam manus essent conferendæ, conspecti sunt Angeli bini miræ pulchritudinis adstare VVenceslao, & prompti ad patrocinandum, arma ad offendendum ministrare, auditaque vox minaciter insonans, Ne feri, qua perterritus Radislaus equo prolabitur, & quod mirere, adeo consternatus, vt supplex ad genua VVenceslai prociderit, & veniam de contumacia humiliter deprecatus fuerit. Quam lubenter elargitus victor, monuisse contentus ne dein-

ceps

ceps aliena inuaderet, ne vestigium quidem hostilitatis remanere passus est. Quot, quantaq; in vno facto decora? quantus erga suum clientem numinis Diuini fauor? Neque verò minus admirabile quod sequitur.

Otho primus ex Germaniæ Rege, quem titulum 26, annis retentum cum imperatorio commutauit, generalia Regni comitia Varmatiæ indixit, & Regni Proceres, ac Dynastas conuocauit. VVenceslao proinde eundum fuit, & Regię voluntati obsequendum. Moris erat antiqui, & pij à solemni sacro ab Episcopo decantato conuentum auspicari, cui aduenæ cuncti interessent, ac opem à Deo publicè implorarent. Et alij quidem viri primates maturè conuenerant, ne mora fieret litationi; VVenceslaus autem, vt inanium colloquiorum quibus otiosa conferta illa nobilitas interim sese oblectabat, tempus precibus redimeret, serius aliquantò comparuit. indignabantur cæteri, & pro sua quisque affectione, ac libito tarditatem interpretabantur, & qui mitissimè, ab illiberali segnitiè haud excusabant. Neque Regi ipsi singularitas hæc probabatur. Inter has splendidæ illius coronæ querelas VVenceslaus aduenit, cui, cunctis videntibus, Rex procedit obuiam, & ad suum locum summo honore deducit; stupent omnes insolentiæ istiusmodi causam, ne coniectura quidem assequi, aut sciscitari, quisquam ausus fuisset: sed Othoni ipsi narrare libuit, qui Sacramentum reuelare honorificum Principi duxit, & suæ ipsius digni-

tati

tati opportunum, ne peccasse contra decorũ putaretur. Fassus nempe est oculis se vidisse corporeis cœlestes spiritus sub Ephéborum specie supra humanam venustatem formosorum ingredientem VVenceslaum stipantes, atque adeo illustri spectaculo ita cõmotum, vt impetrare à se minimè potuerit, quin principi subdito tanquam supremi Imperatoris aulico, & principibus terrenis excelsiori occurreret, & honore illo propalam dignaretur. Quinimo Antistes ipse sacris operaturus non est veritus Regis effatum confirmare, testarique ingenti se quoque horrore perfusum, vt lumina in VVenceslaum venientem & comites eius intorsit, & hæsisse cogitabundum vnde insolita proueniret commotio, qualem ad nullius, qui confluxerant ingressum persensisset. Quæ causa fuit vt propensissimè deinceps amore in castissimum iuuenem ferretur Otho, & sponte offerre munera, muniaque non cessaret: sed qua erat hic modestia, & probitate nihil humanum petijt, quia neque optabat; sacras dumtaxat reliquias summi fauoris loco habiturum significauit; nominatim brachium S. Viti Martyris è Gallia olim sub Ludouico Pio in Saxoniam translati, & in templo magnæ Gorbeiæ positum; tum partem ossium S. Sigismundi Burgundiæ Regis, quem Vandalicæ fuisse nationis acceperat. Vsque adeo libenter postulatis indultum, vt non conferre; sed capere beneficium videretur Otho, cui & alia insuper addere voluptati fuit, vt oneratum

mu-

muneribus, ac honoribus VVenceslaum amitteret, Nam & fuluam Aquilam in lino candido alas pandentem gentilitium suæ domus insigne commune fecit, & in Regium titulum, Ducis appellationem transtulit, ac tributorum quotannis à Dynastis pendi solitorum obligatione liberauit: Et cætera quidem, ne parui facere Imperatoriam munificentiam videretur, acceptare cum gratiarũ actione non renuit, Regis autem magnificum nomen, non nisi grauatè, christianæ humilitatis, quàm terrenæ dignitatis amantior, admisit.

Tam pretioso Reliquiarum sacrarum auctario mirificè lætus VVormatia Pragam reuertitur VVenceslaus, nihilque antiquius habet, quàm vt magnificentissimum illis reponendis templum ædificaret: Interim dum fundamenta iaciuntur venit in mentem corpus auiæ Ludmillę, quod in arce Tetia erat conditum, Pragam transferre, & sepulchro honorifico in templo S. Georgij à Vradislao parente extructo reponere, Triennium iacuerant ossa defunctæ in tumulo à die funeris pa rato, & morte, artus carnesque depascente arida, nudaque remansisse putabantur; sed custodiuit ea Dominus, & à corruptione seruauit, nam cadauer integrum planè, & suauem spirans odorem à defossoribus repertum est. Cœpit adstantes admiratio, & ingens animorum lætitia foras erumpens vicinitatem totam prodigij rumore compleuit, & spectãdi cupiditate succendit: factus inde turbæ cõ-

cur-

cursus, & mox translatio haud sine pompa, venerationem tamen non æquante, peracta est. Interea S. Viti ædificium vrgetur, & ad vmbilicum penè productum amplitudine, ac magnificentia tanta, vt dignum inter cętera templa principali cathedra duceretur, cui suus Antistes daretur, nam antea Pragensi diæcesi adnexa, idemque qui & Morauiæ præerat Episcopus; & postmodum 35. iam annis vtramque Ratisponensis regebat. Hic per id tempus erat VVolfaungus fama sanctitatis clarus, & inter Sanctos post obitum adscriptus, à quo VVenceslaus, vt ad ædis S. Viti iam absolutæ consecrationem Pragam veniret infimis precibus contendit; sed frustra; cũ enim non esset nescius quàm infensa esset Drahomira filio: quamq; impotenter sanis illius consilijs, & religionis catholicæ propagandæ studijs obluctaretur, satius duxit ab ea se flamma subducere; quàm nouis periculis Innocentis iuuenis vitam inuoluere, & nouercale odium aduersus illum irritare. Datis ergo litteris humanissimis respondit sibi quidē in præsentiarum à sua abesse Ecclesia, haud licere; sed missurum tamen Sacerdotem grauem, & probum, qui Vicariam pro se operam præstaret; Atque de cętero sollicitum esse vetat, vel hoc nomine, quod non diù post à Sancta Sede Apostolica Pręses Sancti Viti templo sit dandus, qui Metropolitam agat, & nullius subditus sit Episcopi legibus, sed statuat ipse Pragensibus leges, & Populi Boemici sit ipse Pastor, cleriq; Principes. At-

que ita VVolfangus consolatorem agens, Vatem exhibet. Missis namqne ad summum Pontificem Romam Nuncijs, qui Præsulem Pragensem postularent, dum responsum pręstolatur VVenceslaus, quicquid supererat à gubernatione otij totum in templo diù, noctuq; consumebat, Eò nudis pedibus inter nocturnas tenebras adire, & in oratione peruigil multis horis adstare, mane autē sacris interesse, & ministrare; diligenter curare, ne ornamenta aris, aut necessaria Sacerdotum sustentationi deessent; quæ sibi accepta libuit diuinæ bonitati etiam miraculo declarare.

Etiam Podiuinus, aliàs Podius, fidus Achates, & intimus aulicorum, cui sua arcana nota esse non ægrè ferebat, cum ad templum de nocte euntem comitaretur frigoris sæuitie obriguit toto corpore; ac pedes in primis etsi calceamentis obuoluti, forti, adeo gelu obduruere, vt inflexiles fierent, & incessui inepti. Contra intectus caput, plantasque VVenceslaus lætus ibat, ac illæsus glaciem calcans fumantia calore vestigia relinquebat, in quibus cum nutu eius Podiuinus pedes immisisset perinde, ac si prunis admouisset incaluere, & commodum ad templum vsque procedere concessere.

Propter hæc clarescebat in dies magis VVenceslai nomen apud Populos sibi subditos, exterosque, & augebatur amor ipsorum, ac veneratio erga iuuenem, quem cælitus sibi datum ducē palam prædicabunt matris, fra-

trif-

trisque præcordia: & odia in dies exacuebantur, & quidem vsque adeo vt necare insontem deliberarint; sed immane facinus, vt aliquantisper differrent, effecit rumor minimè incertus initæ à pio adolescente deliberarionis religiosam vitam, abdicato sæculo, amplectendi. Quod vt cum bona Vicarij Christi Domini venia executioni mandaret, miserat ex suis nobilibus non neminem Romam, qui suo nomine ageret cum Summo Pontifice, & consensum eius, ac benedictionem diplomate obsignatam Pragam deferret; quo facultas fieret cœnobium Monachis Benedictinis instituendi, & ipsorum habitum relicto fratri Boemiæ Regno induendi. Verum dum paulò serius, quàm Drahomira ferre valeret negotium Romæ expediretur, ira stimulante, & Satana faces admouente flagitium machinatur, quod cogitare horrescit animus, exarare stylus reformidat. Pepererat sub hosce dies Boleslai fratris vxor puellulum, cuius natalitia de patriæ, & principum more solemni apparatu, & agnatorum concursu celebranda erant. Inuitant genitores ad diem festum VVenceslaum, & blandimentis agunt, vt circumueniant, & mactent. subolevit impia molitio sagaci iuueni cui intestina inuitantium odia, & abalienatio, vt obscura non erant, ita non poterant non esse suspecta simulatę beneuolentiæ repentinæ indicia; ire tamen haud renuit; sed priusquā se viæ daret, accitis in conclaue amicis fidelioribus, è fenestra in subiectum atrium pro-

spectans Sacerdotes non paucos cum Paulo colloquentes intuitus, alta ex imo pectore trahens suspiria, dixit, quam vellem vanus esse vates! Nam paulò post corona isthæc sacerdotum gladijs impiorum perimenda est, & locus sanctus profanorum pedibus conculcãdus, & erat vaticinium hoc absconditum audientium oculis, solus Podiuinus, quò collimaret intellexit, ideoq; à proposito eundem absterrere suum dominum impensè adnitebatur. At VVenceslao certum erat promissis stare, & incertum, quam ob causam periculo non occurreret; nisi quod impulsum fuisse diuinum, & gratam superis magnanimitatem, prodigia cœlestia indicauere. appetente igitur solemnitatis die, confessionis, & communionis sacramentis munitus contendit in Boleslauiam, ibi palatio Regio honorificè exceptus opportunè ad conuiuium lautè nobilitati apparatum vocatur. Inter sympofia, & compotationes trahuntur horæ ad inclinatam vsque diem, sed VVenceslao tædium erant hilaria, aconitum epulæ, fel pocula, & menti à patenis, & pateris alienæ necis instantis horror obuersabatur, at pectus fiducia in Domini ope, & spes prẹmij æterni roborabat. Ideoq; nullum in vultu tristitiæ signum, nulla in sermone suspicionis nota, & quamquam conuiuis cæteris in gaudia solutis breuis horæ instar, tempus longum affluebat, dum potant, rident, garriunt, huic annus est: tandem suadente nocte, & saginati sopori se, & cubilibus donant, VVen-
ces-

ceslaus solus suauiter in oratione excubat, & tutum se nocturna caligine ab arbitris ratus, templum ingreditur, & in conspectu altissimi effundit animam suam. Boleslaus furijs percitus per exploratores monitus, orantem, ac inermem aggreditur, & carnifex de fratre factus micantem gladium super ceruices flectentis eleuans exertam dexteram totis viribus intorquet; sed quasi infandum scelus exhorrens ferrum de manu contorquentis prolabitur, & primus ictus cassus euadit. Non stupet, non horret, sed indignatur percussor marcescenti manui, & resumptum gladium in secundos impetus vibrat, ac vulnere lætali fratrem conficit, nec cessat à laniena, donec efferatam crudelitatem sanguinis, atque spiritus fraterni profusione expleuit. Tum barbara feritate satiatus, ac lętus quantò potest astu, & arte fratricidium dissimulat, ac postridie continuato tripudio mendacia de discessu VVenceslai architectatur, & animos procerum saltationibus, choreis, comessationibus ad alia cogitanda auertit. Non diu post disseminari curat in vulgus diem obijsse VVenceslaum; & principatum nullo obsistente inuadit. Prima adeo tyranni studia fuere defuncti amicos de medio tollere, Sacerdotes, quos illius studiosiores fuisse haud ignorabat pœnis vexare quæsitissimis; sed in Podiuinum intimum; ac familiarem acerbitatem, rabiemq; exercuit truculentam, cui elidi fauces iussit in patibulo, ac per summá ignominiam de illo pendere multo tempore,

quoad in lucem Innocentis mortem, & parricidę scelus gloria miraculorum eduxit, vt mox memorabo.

Contigit mors anno Christi 938. vt Baron. ad hunc ann. & Bellarm. Chronolog.

Funesta nocte, qua execrabile fratricidiũ patratum est, Danię Regi per quietem tota tragædiæ series ostensa est, & in mandatis relictum, vt ædem Christi martyri ædificaret. Angeli ne tutelaris opera ostentum, confictum, an ipse Christus Dominus quiescenti obiecerit parui refert definire. Verum fuisse insomnium ex ijs, quæ cœlitus immittuntur, exploratius Regi fuit, quam vt dubitationi locum dare posset, aut vellet. Paruit itaque imperanti numini, & templum molis, operisque Magnifici in honorem VVenceslai Deo dicauit, per cuius parietes splendens pictura facti speciem mortisque genus repræsentabat oculis in clara luce, quale ipsi in tenebris, & nocturno sopore ostensum meminerat, ac palam testificari non verebatur.

Verum & ad tumulum martyris in Boleslauiæ templo clam sepulti coruscare miracula occœpere, quorum fulgorem ferre non valens Boleslaus extinguere nequicquam summa calliditate curauit. Mandat extumulari corpus, & currui impositum quàm celerrimè Pragam noctu deportari, & secretissimè alibi sepeliri. Vix equi sarcinæ illius pondus persensere, & aurigæ indignari regimen præcipiti se cursu itineri dedere, ac interiecta flumina siccis prope plantis transuadantes ocijssimè Pragam peruenere: & custodes quidem morem suo Domino gerendi cupidi de-

po-

ſitum ſibi creditum ante lucem procul obſeruatoribus recondere feſtinabant; attamen iugales creatori deſeruientes ante carcerem arci Pragenſi ſubiectum immobiles hæſere, nequicquam adnitente rhedario illos propellere,& prolixa cõtentaq; fuſtigatione ad curſum incitare. Perſticere eorum ingratijs tanquam columnæ marmoreæ ſolo defixę quoad ſole latè terras illuminante concurſus ingens factus eſt turbæ ad ſpectaculum confluentis, & fateri cogentis aurigam quid veheretur,vnde veniret, quò pergere eſſet animus; quęq: alia ſecretam Boleſlai machinationem, & fraudulentam tranſmiſſionem manifeſtauere. Neque tamen illico detecta vafritie mouere ſe loco quadrupedes diuinę Iuſtitiæ famulantes; sed multitudine miraculum acclamante pars quoque lætitiæ communis ad propinquas latomias deriuata, & neſcio quo inſtinctu captiuorum liberatio clamore ſpectatorum expetita, & impetrata. Tum vacuis habitatore carceribus, nullo iam ſtimulante reſtaurato curſu recta equi contendunt, & ante fores templi S. Viti rurſus conſiſtunt. Inſequebatur frequens agmen accurrentis populi in venerationem martyris proniſſimi,quę mirificè aucta eſt cum aperta capſa corpus integrum,& à vulneribus perſanatum inuentum eſt, auricula dumtaxat dextera deſiderata, quam Præmiſlaua ſoror eius ad limen templi vbi fuerat interfectus, repertam cruore madidam ſeruauerat ad multiplicanda prodigia; nam è Boleſlauia Pragam delata, ſua

 ſponte

ſpōte capiti vnde auulſa fuerat,adhæſit in auribus olim cœleſtibus cū ſua compari decoranda. Cęptus inde tantus ad ſepulcrum cōcurſus fieri, tot indè curationes infirmitatum in dies vulgari,vt neque Sancti gloriæ obſcurandæ, neque ſuæ infamiæ obtegendæ par eſſet interfectorum aſtutia, vel comminatio. Cedendum maiori poteſtati fuit; & irritati numinis vindictæ duræ ceruices ſubijciendæ. Nam Drahomira non longè ab arcè Pragenſi dum curru vehitur terræ hiatu cum gyneceo & comitatu toto abſorpta eſt,ſuperſtite dumtaxat auriga, vt teſtimonio caſum horribilem referret. Boleslaum miſerando ſupplicio carnifex morbus exercuit, & diu conflictatum agitatumque conſcientiæ ſtimulis mors truculenta confecit. Non tamen prius quàm ab Othone Imperatore in iudicium vocatus, & damnatus eſt. Quamuis enim detrectare imperium primum auſus ſit, & coacto exercitu Imperatori obſiſtere id temporis bello contra Hunnos Auguſtam Vindelicorum obſidentes, occupato; nihilominus hoc fœliciter confecto, demiſſione infima pacem, & veniam deprecatus nonniſi priuilegiorum omnium VVenceslao conceſſorum priuatione obtinuit, & pęna inſuper mulctatus eſt maleficio debita; quę qualis, quantaque fuerit non prodidere ſcriptores; verum vt vis grauis fuerit, grauitatem ſceleris æquauerit, qui potuit nulla niſi diuinæ manus vltione compenſanda? Conſcij quoque & miniſtri ſceleris præmiſſi,alij precipites ſe ex editis lo-

cis

cis in abrupta dedere, alij districtis gladijs toto pondere nudis pectoribus incubuere, alij aquis se præfocauere pollutas animas cum tanto cruore orco euomuere; nemo immunis e vindicta vitæ contaminatæ concessit, nonnullorum filijs, posterisque in longum hæsere vestigia auitæ improbitatis, quippe natorum nati omnes contractis plantæ alterius neruis è maternis vteris prodeuntes perenni claudicatione, & incessu deformi ludibrio fuere mortalibus, & radices, vnde malum manabat in ramos fructusq; fœditatis memoriam renouabant.




S. MATHIAS

§

Surge qui dormis, & exurge à mortuis
Ephef. 5.

O anima mea, siue vigiles, siue dormias semper in auribus tuis, illa horribilis tuba resonet. Surgite mortui, venite ad iudiciū, ò anima nunquam excidat à tua memoria Ite maledicti in ignem æternum: Venite benedicti, percipite regnum. O quid potest lamentabilius, & horribilius cogitari, quam ite? & quid delectabilius exprimi, quam venite? S. Aug, solil. c. 3.



MALCHOLMVS REX SCOTORVM
Cognomento Virgo.
Illi copulemur cui est nupsisse Virginitas — S. Paulini

Malcholmus IV. Scotorum Rex Cognomento Virgo.

FVit hic Dauidis Regis filius, Henrici nepos, post alios tres eiusdem nominis quartus; eorum nulli castimonia, ac pietate secundus Dauide functo summa procerum, & populorum consensione Regno suffectus, maiorem fœlicis administrationis spē, quàm ætatis maturitatem attulit. Etenim impuberi adhuc ex aui designatione gentisq; lege delatum sceptrum, in quo moderando ita se gessit, vt iuuenile, nihil prçter adolescentiæ florem in eo aduerteretur. Species ipsi decora, & imperio digna: Virtus superior annis, & vsque adeo conspicua in dictis, factisque vt admirationi esset populis sibi subditis, & summæ apud extraneos commendationi. Frons, oculi, vultus, collocutio modestiam spirabant, & castimoniam, quæ causa fuit, vt antonomasticè Virgo nominaretur. Cum autem ad hæc ornamenta accederet morum elegantia, comitas, affabilitas, beneficentia, diligentia in regij muneris functione, incredibile dictu est, quantum sibi amorem apud Scotos conciliarit. At quia acceptus erat Deo; necesse fuit, vt tentatione probaretur, ac aduersis exerceretur. Prima namque regnandi initia inauspicata reddidit lues pestilentiæ persimilis, quæ Scotiam propè vniuersam inuasit, & plurium mortibus funestauit. Consecuta hinc annonæ caritas; & fa-

Ex historia Scotorū scripta ab Hectore Boethio l. 13.

mes

mes, quę superstites à morbo, dirè latiquę absumpsit. Hac vsus occasione Sumerledus rAgadiæ Toparcha Tanus vulgo dictus collecto milite in afflictas, & desolatas prouincias irrumpit, & auferre à legitimo Domino, quanta potest armorum contentione connititur. Ast fuit conatus irritus, siquidem fiducia in Deum erectus pius adolescens per Gillechrestum Augusian Regiæ militię Præfectum copias ex reliquijs mortuorum studiosè conquisitas inuasori opponit; & victoriam gloriosam reportat. Maius illi periculum, damnumq; ab Henrico II. Anglię Rege creatur; etenim Londinum ad præstandam fidelitatem accitus in expeditione quam aduersus Ludouicum Franciæ Regem parauerat eo mitem, quamuis inuitum semel deduxit. Iterum post annos paucos eodem reuocatus, tribus prouincijs, Northumbria, Cumbria, Handintonia spoliatur, quod istæ in memorato bello suppetias hosti Regi, vti criminabatur, iuissent; Et quod deterius est, Malcholmum ipsum in summum amittendi Regni discrimen adduxit, putido vulgato mendacio quod iuri rrium illarum prouinciarum sponte cessisset; Quæ causa fuit coniurationis nobilium aduersus ipsum, & obsidionis, qua redeuntem ex Anglia, & ad Bertham oppidum diuertentem cinxere, quoad patefacta Henrici nequitia non modò suæ restitutus est Regiæ; sed animatus insuper, & adiutus liberaliter ad bellum eidem Regi inferendum, quod adeò fœliciter confectum est; vt ad pa-
cem

cem æquis conditionibus ſtabiliendam adegerit. Verum diù quietem amanti non licuit eſſe quieto; rurſus enim orta tempeſtas eſt, ac tumultus excitatus à magna nobilium parte, & à Præfecto armorum Auguſto Gallouidiano in ipſum conſpirantibus, quos tamẽ tertio conflictu profligauit, capto etiam Præfecto, & cuſtodiæ tradito, à qua tamen liberationem impetrauit, & veniam, tum quia ſigna dedit pænitudinis non ſimulatæ, & recepit ſe militiæ, ac mundo valedicturum; tum quia facile fuit Regem natura mitiſſimũ ad condonationem inflecti, & à vindicta perduellionis ad miſerationem traduci; ne tamẽ à clementia ſeiungeretur Prudentia, filium illi longè cariſſimum ſpontè oblatum obſidẽ accepit, & facultatem dedit ad vitam religioſam, inter Monachos Sanctæ Crucis tranſeundi, quam conſtanter ad obitum, vſque retinuit. Neque dum bellorum finis, quæ à Morauis, & Sumerledo ſunt inſtaurata: Sed illos ad internecionem expugnauit; hunc verò tertiò iam rebellantem captiuum duxit, ac Iuſtitiæ victimam in patibulo ſuſpendi iuſſit. Quo ſecundiſſimo victoriarum curſu fama bellicæ virtutis Regis inclyti longè, lateque propagata probauit poſſe fortitudinem, ac Iuſtitiam, cum pietate diuinoq; cultu ritè ſociari. Enituit etiam inter præclara facinora inſignis erga ſedem Apoſtolicam obſeruantia ad quam legationem ſelectiſſimorum virorum Guilhelmi Morauienſis Epiſcopi, & Nicolai ſibi à ſecretis deſtina-

ſtinauit, qui ſuo nomine pedum oſculo reuerentiam teſtarentur, & obedientiam pollicerentur; impediri ſe publica Regni adminiſtratione ne Romam veniret, & id officij ſuę ſanctitati debiti coram obiret; optare, precarique ſua benedictione impertiri, quam ſibi, ſuiſque populis ſummopere profuturam minimè vereatur. Erat id temporis Eccleſiæ Rector Eugenius III. ille qui à S. Bernardo Monaſterio Ciſtercienſium ad aquas ſaluias vulgo trium fontium præfectus fuerat & Viterbium, tum conceſſerat declinandi rumoris à plebe Romana concitati. Ibi ſummo cum honore, ac benignitate legatos Scotos excepit, & auditis ingenti cum voluptate, quæ ipſi de virtutibus Malcholmi narrabant, amauit abſentem, & habuit humaniſſimè in aula ſua Nuncios, quoad redire volentes cum benedictione, quam petierat dimiſit, & muneribus, quę non petierant, honorauit.

Cætera quæ ad varios rerum politicarum caſus pertinent, ac fusè à ſcriptoribus denarrantur, inſtituti noſtri non eſt ſingillatim perſequi, vnum omitti non patitur Virginitas, quod totum ſuum eſt, & eximiè ſplendidum. Vt reddita à bellicis tumultibus pax regno fuit, ad eam firmandam Comitia generalia conuocauit Rex, ad quæ celebranda nobilitas vniuerſa ſacra, profanaque conuenit.

In ijs nouere Senatores, quod fama vulgauerat, de ſingulari Regis prudentia, ac virtu-

tibus

tibus reliquis castimonia præsertim, quam reddebant prorsus admirandum iuuanilis cętus, formæ elegantia, commodorum affluētia, & cætera, quę Principum aulæ suppeditant incitamenta vitiorum. Sed nihil magis mirata est corona illa nobilitatis, quàm responsum, quòd castus adolescens dedit Episcopo nuptias suadenti.

Quippe Arnaldus D. Andreæ Præsul opinione sanctitatis, ac sapientiæ venerabilis, Clausulam Comitijs fecit erudita paręnesi, qua petitis ex humana, & sacratiori Philosophia rationibus totam vim deprompsit eloquentiæ, vt Mulcholmum quem Reges, ac Principes aliquot generum optabant, ad aliquem ipsorum in socerum admittendum induceret; eoq; progressu oratio est, vt necessarium id esse contenderet ad publicum regni bonum, & catholicæ religionis incrementum, quod citra piaculum contemni haud posset. Laudabilem esse cœlibatum in priuatis hominibus; laudabilius in Principibus cōiugium, quo regna conseruantur. Amicitiæ aluntur Regum, humanum genus in pace fœlicitate fruitur: præterquam quod in tuto collocatur lubricus adolescentiæ incessus, & securius teritur via mandatorum Dei: Quæque alia mollire queunt dura aduersus thalamos nuptiales pectora orator ille sacer proferebat. Pendebat ex ore mella fundentis auditor, intentusq; finē ad quem aptissimè, dixerat pręstolabatur. Ast prępotuit amor castitatis illibatę in animo, Pauli, imò Christi D. consilijs

imbuto, Virginitatem nuptijs præferentium, nec mortalium vllum à tanto bono excludentium. Itaque vt breui rem conficeret, & ansam præcideret intercessionum statuit secretum hactenus nulli reuelatum omnibus in Senatu præsentibus aperire. Vnum se eorum fassus est, quibus capere verbum absconditum datum est, & pretium Virginitatis, eamq; à teneris annis adamasse, & voto Deo Optimo Maximo, ac Sanctissimæ Matri deuouisse, quod violari sit nefas, & firmum ratumque esse velle. Non defuturos se meliores, qui succedant in regno, cuius ex tunc ius omne abdicat, & in eos ad quos deuolui ipsi iudicauerint, transfert. Obstupuere supra quam dici queat adstantes omnes ad nũcium inopinatum, & quem hactenus, vt Regem coluerant, postmodum, vt quid Rege superius suspicere, ac venerari cœperunt. Vocabant alij cœlestem spiritum, sub humanis membris latitantem; Alij Dei Angelum, ad breue tempus concessum terris; & non diù post à cœlo repetendum. Neque falsi opinione sunt. Etenim post soluta comitia cometes in aere apparuit binorum longitudine radiorum aspectabilis appetentis fati Malcholmi prodigium, vt insecuta febris declarauit, qua post dies quatuordecim extinctus est. Mors fuit vitæ consentanea, qualis videlicet iustos occupat nunquam imparatos, Sacramentis Ecclesiæ munitos, inter ardentia vota videndi Deum, & preces illa consequentes expirauit. Indelburgi, vbi 12. cir-

citer regnarunt annis; ætatis anno 25. ſeculi mihi incertum non adeo ſollicito iſtiuſmodi dubia diſcutere meo inſtituto non conducibilia, niſi quod plerique aſſerunt à viuis exceſſiſſe anno ſalutis 1165. Iuſta apparatu, quàm magnifico ſoluta, corpus dein delatum Deunformilem, & in deſignato Regibus ſepulchro conditum. Reliquit famam ſuperſtitem ſanctitatis, ac Virginitatis monumentaq; piæ liberalitatis templum S. Andreæ in Kirleu ab ipſo inſtructum, & Canonicis S. Auguſtini donatum. Alterum Abbatiæ B. Virg. quam amplis auctum redditibus Ciſtercenſium ſedem conſtiiuit. Et vtraq; retinuere diù decorem ſuum, donec hæreſi graſſante ſunt deformata.




IHS

T

An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti
1. Cor. 6.

Nam cum omnes templum simus Dei illato in nos, & consectato Spiritu sancto, eius templi æditua, & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat inquinatam sedem offensus, derelinquat. Tertul. De cultu femin. c. 1.



S. CASIMIRVS Rex Hungariæ Electus

Maior est uictoria Hominum, quam Angelorum;
Angeli enim sine carne uiuunt; Virgines uero in carne triumphant. S. Ambr.

S. CASIMIRVS.

NEque regionibus Aquilonaribus suos denegauit naturæ flores; neque Poloniç inter omnes florentissimæ, munerum suorum parcus dispensator regnorum Dominus videri voluit. Quippe regia Maiestate, ac procerum nobilitate splendidam, potentiam formidandam, victorijs gloriosam, virtutum insuper, & splendore sanctitatis orbi exhibuit venerandam. Non est mei animi plures percensere quos longa serie annales Polonici numerant, Instar esto multorum S. Casimirus sit, cuius præclara gesta viri docti, probique adnotauere, & posteritati fide integra transmisere. Parentes ipsi fuere Casimirus Tertius id nominis Rex Poloniæ, generosum Iagellonidis familiæ germen; & Elisabeta Alberti secundi Imperatoris, Austriacæ stirpis ornamenti. Hunc secundo partu enixa est fœmina fœcunditate etiam fœlix, quæ seno masculorum, septeno puellarum gauisa est. Quinta Octobris dies, prima fuit vsuræ lucis in vrbe Regni Principe Cracouia, anno salutis 1458. Natalitia gaudia duplici euentu cumulata fuere. Victoria videlicet aduersus Teutonicos equites ab exercitu Regio in Prussia debellatos; & nuncio à Georgio Pocabraccio Boæmiç inuasore misso, pacem postulante çquissimis conditionibus, etiam cessionis Regni Casimiro debiti, quas antea ferus animus nec admittere quidem çquis

Scripsit eius vitam Zaccharias Ferrerius Vicentinus Episc. Legatus Apostolicus in Polonia Sur. t. 2. die 4. Martij.

auribus sustinebat. Quę simul fama vulgauit, simul in occasionem hominis fortunati vertit, ceu gaudijs iuncta natiuitas prosperos vitę successus portenderet, promitteretque.

Neque vero vana fuere auspicia: etenim ab ipsa penè infantia, gratię cœlestis animulam possidentis radij emicare cœperunt ex ore balbutientis, cui delicię erant sanctissima nomina Iesu ac Mariæ ingeminare, seu frangere; ac nutricem illorum pronunciatione præeuntem auidiuscule auscultare. Dein vt articulare licuit voces, orationem dominicã, & salutationem Angelicam memoriæ pari cum facilitate mandare, ac cum voluptate recitare: genicula orabundus flectere, palmulas iungere, sese ad precandum componere, vt si pietatis momenta nosset; cuius argumenta promptè, ac delectabiliter exprimebat. Sexennis optimi, ac eruditi magistri curæ traditus, à quo & sapientiæ lacte nutriretur, & moribus ad pietatem imbueretur; & nescias an plus ille laboris, ac diligentiæ in puero formando poneret; an iucunditatis, ac lætitiæ ex aurea illius indole, & discendi promptitudine caperet. Progressus quippe in litteris, ac virtutibus vota magistri superabat & discipuli vincebat ætatem, quoad per eam licuit in priuato gymnasio Musis vacare; & à campis martialibus abstinere, ad quos ante pubertatem euocatus bellica tractare parentum iussu, coactus est sanè perinuitus. Namque Hungari haud bene de Cor-

uini Imperio contenti Casimirum nondum tertium decimum explentem annum in Regem de communi consensu eligunt, & per Legatos cum Casimiro patre strenue agunt, rogantque, ne filium Casimirulum ad regni sceptrum capessendum mittere moretur. Non censuit prudens Rex capillatam occasionem læta se fronte offerentem dimittendam esse, & copioso exercitu instructum Casimirum in Hungariam alijs nominibus prætensam dimittit. Aduentanti ad Regni confinia occurrit procerum indigenarum manus, & Nitriam inter Strigoniam, & Zarnouium deducit, mox regia dignitate inaugurandum, ni conatibus obstitisset fortuna ministra numinis ad altiora suum alumnum destinantis. Nimirum qui rerum potiebatur Matthias imminentem casum ferens iniquissimè quicquid habuit virium, & artis opportunè deprompsit, & nobilium animos à se abalienatos officijs, obsequijsq; demulsit, pollicitationibus deliniuit, & à voluntate nouum regem creandi abduxit; tum remis, velisque contendit, vt vndique copias, quàm numerosas summa celeritate colligeret, quò aduenam Polonum vel obsidione cingeret, vel cedere Hungaria prorsus cogeret. Nec irritus labor, ac sollicitudo fuit. Instructo nempe exercitu multitudine, ac viribus aduersario superiore, Nitriam versus tetendit procul dubio triumphaturus, ni Casimirus de belli Præfectorum consilio hostis victoriam reuersione in Poloniam præuertisset: à qua

pro-

profecto vt foelicitas abfuerit laus deesse Casimiro nequaquam potuit; siue quia ardui operis aggressio in paternam obedientiam refundebatur, siue quia prosecutio aduersus acies longè potentiores temeritate non caruisset, cui excessui occurrendum militaris prudentiæ dictabat, ne mixta Hungaricæ Nobilitas Polona vastationis cædiumq; periculo haud obscuro objiceretur.

Quamquam euentum minimè fortunatum ad prouidentiæ diuinæ trutinam librantî liquebit facilè ortum inde meliori fortunæ initium, & adeptionis regni longè terreno quolibet excelsioris. Nam Casimirus parés cui nuncij in dies de successionibus mittebantur, iussit redeuntem filium in pago tribus circiter milliarijs Cracouia dissito consistere, neque ad se ni moneretur accedere, non tam vt erratum aliquod id pœnę genere castigaret, quam ne aspectu filij, ceu fortunę ludibrij, subinde dolor innouaretur. At quęcunque demum causa regiæ fuerit morositatis in reuocando ad penates patrios extorrem nullius affinem culpæ, solitudo, & velut exilium bono vertit Casimiro animo iam tum à terrenis alieno, & ad cęlestia mirum quàm intento: eapropter cessante armorum strepitu, ac negotiorum tumultu, otium quod erat abundè rerum diuinarum meditationi dabat, parce admodum recreationi, & naturæ debito relicta parte; quam vitæ statusq; conditio omnino detrahi, saluo iure non patiebatur. Porro patrię, & carorum

ab-

absentiæ molestiam, assiduæ cum Diuis conuersationis lætitia compensabat; Idcoque graue ipsi haud quaquam accidit à diuturna pagi habitatione Vilnam Lituaniæ caput, cui Alexander natu minor cum imperio præerat, commigrare; neque illi subesse quem rex præfecerat, quia altius eius consilia spectabāt, & ad æterna duntaxat inhiabant; Totum tempus ternas diuisum in partes ita exigebat, vt matutinum post meditationem quà sacris audiendis, quà Sacerdotibus perlitantibus inseruiendo daret. Pomeridianum inuisere ad se officij, vel necessitatis gratia postulantibus non denegare; ast otiosis confabulationibus abstinebat, quas ne tum quidē sustinebat, quādo citra offensionem aliquam, aut decori violationem subducere se congressibus non licebat: Contra verò de rebus pijs miscere sermones grata ipsi voluptas, presertim cum ijs qui earum notitiam à diuina familiaritate hauserant. Et parcus quidem verborum, ac circumspectus cum esset; adeo tamen humanum, ac mitem se exhibebat, vt amaretur à cunctis, & pro sancto haberetur. quod supererat ad vesperam vsque spatij, legendo, & componendo insumebatur, & compositio plurimum de sanctis erat, ac potissimum de B. Virgine, cuius hymnos etiam cantare consueuerat tanta cum iucunditate, vt ex oris modulo penitissimi cordis affectus innotescerent.

Neque obliuiscebatur in die misericordiæ quam mandauerat Dominus; nam & egenti-

bus eleemosynas erogabat liberaliter, atque vt effusior esset liberalitas pretiosarum vestiū, ac ornamentorum pretium pompæ detrahēs, miserorum egestati conferebat, illud ex Euangelio subinde vsurpare solitus Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequētur. Solari afflictos, pupillis, ac viduis subuenire solatium illi erat intimum, adeo vt Pater, ac patronus afflictorum vulgo audiret. Nox ipsi die serenior abibat, redibatq; luce desuper mentem illuminante, & calore pectus perfundente. Somnum breuem longæ contemplationis horæ excipiebant: cubile pauimentum erat; nisi qua templum ingressus flexis genibus in oratione ortum nascentis Auroræ opperiebatur. Eò quippe quiescente familia cum nullus obseruator aduerteret tacitus obreptabat nudis pedibus, etiam rigente hyeme. Et si quando clausis valuis aditus impediretur, in anteliminari pernoctabat, & inclinata ceruice diù, multumque æterno Numini reuerentiam profundam exhibebat. Victus non qualis regalibus infertur mensis; sed qualem parsimonia apparat, abstinentia instruit, pœnitentia ministrat. Ieiunio pene continuo, cilicij iungebatur vsus, & afflictationibus corporis comes ibat affectionum animi moderatio, ac nusquam intermissus in sensuum custodia disciplinæ rigor: quo fiebat vt appetitiones omnes rationi veluti dominę obtemperarent, & caro ita gratiæ ductui obsecundaret, vt ne leuibus quidem titillationibus, aut vagantis

im-

imaginationis spectris esset obnoxia. Fassi sunt opportunè Sacerdotes conscientiæ ipsius arbitri ad tantam puritatem animi peruenisse, quę solum angelica inferior est; nec labem se reperire in exomolgesi, quæ beneficio Sacramenti abstergeretur. Qui candor mentis tum splendidè, magnificèq; se prodidit quando congrediendum illi cum vitæ amore fuit. Huic enim periculum haud dubium creabat febris, quæ remedijs ingrauescens, tandem medentium sagacitate deprehēsa est in vitiato semine radices posuisse, quę nisi euellantur in virus lethale migrant, nec posse nisi eiectione diuelli. Hic quid agat feruens amator castitatis iuuenis? Consulit viros sapientes, confessarum in primis liceat ne per leges sacras Virginitatem antehabere vitæ, & mori potius quàm fœdari? Quibus licere affirmantibus, Pereat inquit terreum, ac mortale corpus, viuat cœlestis Virginitas, & immortalis. Mirantibus cunctis, ac indolentibus tam qui sana consilia dederant, quàm qui absona suggesserant, ipse solus diem resolutionis lætus expectabat, quę vbi propinqua fuit, pridie horam eius crastinam prædixit, & eadem venienti sponso Sacramentis Ecclesiæ munitus occurrit, & oculis in Crucifixi manibus apprehensi defixis inter illa verba. In manus tuas Domine commendo spiritum meum, placidissime expirauit quarta die Martij an. 1484. ætatis 25.


Et volasse protinus in Paradisi amœna vireta columbam virgineam indicio fuere vul-

tus

tus hilaritas, amœnitas, ceu renidentis, & beatitudinem suæ animæ gratulantis Corpori data sepultura solemni pompa in B. Virginis sacello, quod inter aras templi Principis Sancto Stanislao Episcopo, & Martyri dicati, magnificè splendet. Elegerat hanc adhuc superstes suo cadaueri sedem, vt eo velut anathematis obsequio intimam aduersus Beatissimam Virginem pietatem, ac amorem testaretur. At qui fuit sepulchri locus, protinus in scenam miraculorum euasit, quorum plurima priuatorum commodo, aliqua in commune Reipubiicæ bonum patrauit, Numinis potentia, ac bonitas ad declarandam serui sui sanctitatem, & gloriam qua potitur in cœlo. Hæc inter illud memorandum, quod cum Moscorum exercitus numerosus, ac prepotens subitanea, ac improuisa irrupptione fines Lituaniæ ingressus vastationem, atque excidium moliretur, quod auertere per temporis angustias indigenis non licebat, ad Diui opem implorandam confugere, ac voto facto occurrere irruenti hosti deliberauere. Et acceptas fuisse preces declarauit exitus. Etenim se visendum splendore circumfusum in aere & vt Ducem præeuntem præbuit, eoque spectaculo animati Lituani non plures millenis binis generosè contra millia 60. Moscorum arma conseruere, & feliciter victoriam sæculis omnibus prædicandam reportauere: & poterat miraculi euidentia fidei Romanæ, hoc est catholicę, infensos ad schisma detestandum flectere, pro quo abolendo Casimi-

rus viator adhuc insudauerat, & comprehensor odisse signis à Deo veritatis auctore impetrasse videri voluit. At enimuerò pseudo pastorum næniæ populorũ oculos obcęcãt ne manifestam lucẽ videant, & regni cęlorũ claues Sancto Petro, ac successoribus traditas agnoscant. Vnus istorum Leo X. permotus fama miraculorum, & vitæ à castissimo iuuene sanctissimè traductæ, post exactissimam disquisitionem, dignum duxit, qui sanctorum albo adscriberetur, & publicis Ecclesiæ honoribus coleretur. Anno à Christi D. natiuitate 1521.





Hymnus quem in B. Virginis hono-
rem composuit,& secum sepeliri
curauit S. Casimirus Casimiri
Poloniæ Regis, & Eli-
sabethæ Austriacæ
Filius Rex Hun-
gariæ Electus.

Repertus est Sancti Principis pectori superpositus, dum eius sepulchrum aperiretur. Anno MDCIX.

OMni die dic Mariæ
Mea laudes anima
Pius festa, eius gesta
Cole deuotissima.

Contemplare, & mirare
Eius celsitudinem
Dic fœlicem genitricem
Dic Beatam Virginem.

Ipsam cole, vt de mole
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.

Hæc persona nobis dona
Contulit cœlestia
Hæc Regina nos diuina
Illustrauit gratia,

Lin-

Lingua mea dic trophæa
Virginis puerperæ,
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert genere.

Sine fine dic Reginæ
Mundi laudum cantica;
Eius bona semper sona
Semper illa prędica;

Omnes mei sensus ei
Personate gloriam;
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.

Nullus certè tam disertæ
Extat eloquentiæ,
Qui condignos promat hymnos
Eius excellentiæ.

Omnes laudent vnde gaudent
Matrem Dei Virginem
Nullus fingat quod attingat
Eius celsitudinem.

Sed necesse (quod prodesse
Pijs constat mentibus)
Vt intendam quod impendam
Me ipsius Laudibus.

Quamuis sciam quod Mariam
Nemo dignè prędicet
Tamen vanus, & insanus
Est, qui illam reticet.

Cuius vita erudita
Diſciplina cœlica
Argumenta, & figmenta
Deſtruxit hæretica.

Huius mores tanquam flores
Exornant Eccleſiam
Actiones, & ſermones
Miram præſtant gratiam.

Euæ crimen nobis limen
Paradiſi clauſerat.
Hæc dum credit, & obedit
Cœli clauſtra reſerat.

Propter Euam homo ſæuam
Accepir ſententiam;
Per Mariam habet viam,
Quæ ducit ad patriam.

Hæc amanda, & laudanda
Cunctis ſpecialiter,
Venerari, & precari
Illam decet iugiter.

Ipſa donet, vt quod monet
Natus eius, faciam;
Vt finita carnis vita,
Lætus hanc aſpiciam.

O cunctarum fœminarum
Decus, atque gloria,
Quam electam, & euectam
Scimus ſuper omnia.

Clemens audi, tuæ laudi
Quos instantes conspicis;
Munda reos & fac eos
Donis dignos cælicis.

Virga Iesse, spes oppressæ
Mentis, & refugium
Decus Mundi, lux profundi
Domini Sacrarium.

Vitæ, forma, morum norma
Plenitudo gratiæ
Dei templum, & exemplum
Totius iustitiæ.

Virgo salue, per quam Valuæ
Cæli patent miseris;
Quam non flexit, nec allexit
Fraus serpentis veteris.

Generosa, & formosa
Dauid Regis filia
Quam elegit Rex, qui regit
Et creauit omnia.

Gemma decens, rosa recens
Castitatis Lilium,
Castum chorum ad polorum
Quæ perducis gaudium.

Opto nimis vt imptimis
Des mihi memoriam;
Vt decenter, & frequenter
Tuam cantem gloriam.

Quamuis muta, & polluta
Mea ſciam labia,
Præſumendum, nec ſilendum
Eſt de tua gratia.

Virgo gaude omni laude
Digna, & præconio;
Quæ damnatis libertatis
Facta es occaſio.

Semper munda, & fœcunda
Virgo tu puerpera;
Mater alma, velut palma
Florens, & fructifera.

Eius flore, & odore
Recreari cupimus,
Cuius fructu nos à luctu
Liberari credimus.

Pulchra tota, ſine nota
Cuiuſcunque maculę.
Fac nos mundos, & iucundos
Te laudare ſedule.

O Beata, per quam data
Noua Mundo gaudia;
Et aperta fide certa
Regna ſunt Cœleſtia.

Per te mundus lætabundus
Nouo fulget lumine;
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.

Nunc potentes ſunt egentes
Sicut olim dixeras ;
Et egeni fiunt pleni
Vt tu prophetaueras .

Per te morum nunc prauorum
Relinquuntur deuia ,
Doctrinarum peruerſarum
Pulſa ſunt præſtigia .

Mundi luxus atque fluxus
Docuiſti ſpernere ,
Deum quæri, carnem teri
Verius reſiſtere

Mentis curſum tendi ſurſum
Pietatis ſtudio
Corpus angi , motus frangi
Pro Cœleſti præmio .

Tu portaſti intra caſti
Ventris clauſtra Dominum
Redemptorem , ad honorem
Nos reformans priſtinum

Mater ſancta , ſed intacta
Genuiſti filium ,
Regem Regum, atq; rerum
Creatorem omnium .

Benedicta per quam victa
Hoſtis eſt verſutia
Deſtitutis ſpe ſalutis
Datur indulgentia .

Benedictus Rex inuictus
  Cuius Mater crederis;
  Increatus ex te natus
  Nostri salue generis.

Reparatrix consolatrix
  Desperantis animæ,
  A pressura, quæ ventura
  Malis est nos redime.

Pro me pete vt quiete
  Sempiterna perfruar;
  Ne tormentis comburentis
  Stagni miser obruar.

Quod requiro, quod suspiro,
  Mea sana vulnera,
  Et da menti te poscenti
  Gratiarum munera.

Vt sim castus, & modestus
  Dulcis, blandus, sobrius
  Pius rectus, circumspectus,
  Simultatis nescius.

Eruditus, & munitus
  Diuinis eloquijs
  Timoratus, & ornatus
  Sanctis exercitijs.

Constans, grauis, & suauis
  Benignus, amabilis,
  Simplex, purus, & maturus
  Patiens, & humilis.

Cor-

Corde prudens, ore ſtudens
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum colens
Pio ſemper opere.

Eſto tutrix, & adiutrix
Chriſtiani populi
Pacem preſta, ne moleſta
Nos perturbent ſæculi.

Salutaris Stella maris
Summis digna laudibus,
Quæ præcellis cunctis ſtellis
Atque luminaribus.

Tua dulci prece fulci
Supplices, & reſoue;
Quidquid grauat, vel deprauat
Mentes noſtras remoue.

Virgo gaude, quod de fraude
Dæmonum nos liberas
Dum in vera & ſincera
Deum carne generas.

Illibata, & ditata
Cœleſti progenie
Grauidata, nec priuata
Flore pudicitiæ.

Nam qnod eras, perſeueras
Dum intacta generas
Illum tractans, atque lactans
Per quem facta fueras.

Commendare me dignare
Christo tuo filio ;
Vt non cadam , sed euadam
De Mundi naufragio .

Fac me mitem , pelle litem ,
Compesce lasciuiam ,
Contra crimen da munimen,
Et mentis constantiam .

Non me liget , nec fatiget
Sæculi cupiditas ,
Quæ indurat, & obscurat
Mentes sibi subditas.

Nunquam ira , nunquam dira
Me vincat elatio ;
Quę multorum fit malorum
Frequenter occasio .

Ora Deum, vt cor meum
Sua seruet gratia ,
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania .

Da leuamen , & iuuamen
Tuum illis iugiter
Tua festa , siue gesta ,
Qui colunt alacriter .

Qui multis vtitur verbis lædit animam ſuam. Eccl. 20.

Periclitatur caſtitas in delitijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio. S. Bern.



S. EMERICVS.
Filius S. STEPHANI Regis Hungaria.
Virginitas est soror Angelorum S. Cypr.

S. Emericus Hungariæ Princeps.

EN radicis ſanctæ, quam ſanctus ramus Stephanus Hungariç Rex Sanctus, ac inter ſanctos relatus,& Gyſela S. Henrici Imperatoris ſoror ſanctitate cum marito certans genuere Sanctum Emericum, cuius vitam, obitumq; ſtrictim è fuſiore aliorum narratione collectam, caſtitatis amatoribus, quà mirandam, quà imitandam propono. Natalis dies, imo, & menſis ſolis huius nubibus incuriæ, & incogitantiæ veterum obductus, poſteros latuit: Annus reparatæ ſalutis putatur 1007. Albæ Regiæ, ſic appellatæ, quòd reges ſuam inibi ſedem vnde toti iura dabantur Regno collocauerãt. Ab vndis luſtralibus, quibus à templi maxime Præpoſito inſperſus fuit; Henrici nomen in auunculi Imperatoris gratiam impoſitum infanti primum, vſu gentis deinceps in Emericum abijt; Habet (inquit Ambroſius) Sanctorum editio lætitiam plurimorum,quia commune eſt bonum. Non modo enim natio Hungarica vniuerſa ſigna lætitiæ dare geſtijt; ſed cæteri etiam Principes honorifica nunciorum legatione, & precioſorum munerum largitione Stephano nouæ prolis exortum gratulati ſunt. Quos inter acceptiſſima fuit Baſilij oriẽtalis imperij tum potientis mixta pietati magnifica liberalitas, qui Crucem ex auro ſolido, gemmiſq; pretij inæſtimabilis compactam, & fruſto ligni Crucis ſalutiferæ de-

? Sur:to:6: die 4: Nou: & alii cit: a Baran: ea dem in mat tyr.

decoratam dono misit. Porrò Rex ipse non contentus pro susceptæ prolis beneficio temporarias gratiarum actiones Deo egisse per se, perq; omnium Ecclesiarum Hungariæ Sacerdotes, extare insuper voluit grati animi monumentum insignem Sanctissimæ Virginis Basilicam, cuius statim fundamenta posuit, & sumptu Regio absolutam monachorum S. Benedicti vsui, cultuiq; destinatam, amplo cę nobio ad eorũ habitationem auxit, & omnibus ad ornatum, & vitę commoda necessarijs locupletauit. Neque minus illi de educatione pueri studium, qui vbi quartum absoluit annum maturè è crepusculis infantię emittere cœpit rationis radios, & iam tũ disciplinæ idoneus selecti præceptoris curæ commissus, à quo lac pietatis pedetentim hauriebat. Catechesim, & fidei rudiméta prõptè didicit, neque contentus verba memoriter recitare, sensum insuper interrogatiunculis explorabat, inque mouendis difficultatibus ingenij lumina puellus prodebat; & multa dabat indolis bonæ, ac propensæ ad virtutem voluntatis argumenta. Siquidem peccare adhuc nescius tam vehemens præcepit animo aduersus peccatum odium, vt nec audire quidem nomen ipsum peccati sine molestia posset. Et quia ad illud vitandum diuinæ gratię auxilio opus esse subindè docebatur, prima adeo cogitatio matutina erat, statim vt è lectulo surrexerat genua flectere, Deumque precari, vt ab omni labe tueri dignaretur; postrema prius quam cubitum concederet,
gra-

gratias eidem pro beneficijs agere, & erratorum veniam suppliciter implorare, idemque vt ephebi suo obsequio addicti facerent, procurare, & qui facerent amare propensius, quod erat incitamento cæteris ad imitandum. Parentibus apprimè pijs, nihil accidere iucundius poterat, quàm ante oculos habere puerum pupillis cariorem, qui viuendi initium à summi cœlorum Imperatoris famulatu duceret, & eius gloriæ olim propagatorem eximium polliceretur. Rex in primis actionibus eius obseruandis paulo attentior, aduertit haud semel nocte intempesta, & aula tota sopori dedita, clam de molli strato Emericum se subducere, & flexis genibus preces horarias B. Virg. percurrere, ac diutius in oratione perseuerare. Et verò spem eius, & gaudium cumulauit dignum narratione visum, quod ab ipso Stephano acceptum prodidere testes omni exceptione maiores. Vsu venit aliquando, vt cœnobium S. Martini vulgo dictum à se in monte ædificatum aditurus, Emericum duceret secum, & conscenso cliuo iam propior ipsum præmitteret ad primos occursus honores accipiendos.

Monachi, quibus magno numero alendis amplos redditus assignarat, facti obuiam humaniter, ac reuerenter excipiunt, ac vice versa resalutantur ab Emerico, & osculis de more gentis impertiuntur; sed non æqualiter omnes, siquidem pauciora nonnullis, alijs dabantur plura, vni dumtaxat, qui Maurum

rum S. Benedicti discipulum nomine referebat, libauit saptena: quæ disparitas patri haud procul cuncta contemplanti visa est aliam habere causam, quam casum in octenni puero, qui nihil puerile præferebat in opere, ideoque sciscitatur ab eo cur adeo patenti discrimine in osculando sit vsus, quod inuidiæ fomitem coronæ illi monachorum ministrare possit, Cui Emericus candidè fassus est non sua sponte, consilioue, sed impulsu planè diuino liberaliorem se quibusdam, parciorem alijs osculorum præbuisse, diuersitate videlicet graduum castimoniæ, ad quos euectos esse, Deo reuelante didicerat: porrò septem basia vni data ad Virginitatis præstantiam indicandam, quam illibatam hactenus, nitidamq; seruabat Maurus. Et quamuis de rei veritate nequaquam rex ambigeret, cui perspecta erant erga filium innoxium Dei munera singularia; nihilominus, vt piæ satisfaceret curiositati paucos post dies ad monasterium binis dumtaxat comitibus conscijs secreto redijt, & de nocte, cum signo ad matutinas preces vocantur monachi pariter consurgere, & illis clam, de reposito loco, velut è specula, qui se gererent ex odio sedulò obseruare: pluribus ad suas cellas reuersis perstitere vigiles in oratione illi, quibus multa dederat oscula Emer. ad hos accedens Rex salutare singulos singillatim instituit, & resalutare plerique omnes officio, ac reuerentiæ duxere; solus Maurus mutus, & immotus, vt si non audiret, nec videret hominem

per-

pertransit, neque blanditijs, salutationibusue ad oculos,aut os aperiendum adduci se passus est. Delectatus ea constantia, & sancta rusticitate Rex postridie in publico monachorū conuentu paruit, & accusatorem simulans criminum nonnullorum reum obiurgat Maurum, à quibus alienum esse haud ignorabat; sed ludum seria consecuta sunt; nam criminationi fictæ silentium, & fiduciam in Deum conscientiæ testem obiecit; Rex autem suæ regressionis causa palam explicata Mauri virtutem laudibus euehit, neque multo tempore post Quinq; Ecclesiensi Episcopatui Antistitem designat.

Porrò quæ Sanctus puer ab octauo ad decimum tertium vsq; ætatis annum egerit in libro vitæ adnotata immortalibus nota sunt, mortales coniectura assequi si studeant,mentem attollant, & sublimia cogitent, qualia insignioribus Dei Amicis contigisse legunt, quibus ab infantia supra humanitatem euectis sub humana specie vitam Deus concessit Angelicam, & sua familiaritate dignatus est. Vnum memoria dignissimum prodidere scriptores cui debita hoc loco narratio est. Attinebantur Vesprimij Stephanus, & Gyela loci amore capta, quem templi magnifici ædificio nobilitauerat. Aderat etiam Emericus, ingens itinerum parentibus solatium, nusquam sui immemor, & quecumq; eundum, aut morandum esset semper Dei, & B. Matris memor,solemne illi erat post priuatas in cubiculo preces ad templa inuisere,

non

non modo mane cum sacris Sacerdotes operantur; sed certis præterea temporibus concursu, frequentiaque populi vacuis; vbi solitudo, & quies ad orandum inuitat; & attentionem iuuat. Erat Vasprimij vetusta D. Georgij martyris ædes sacra à Carolo Magno quondam erecta, eò libenter adibat; orationis ergo Emericus, quod singulariter propitium, ac fauens numen experiretur, & velut in horto amænissimo intimę douetionis rore perfunderetur. Contigit aliquando, vt pro ara maxima in genua deiectus; serio secum voluerit animo cœlestibus delitijs delibuto, quid nam facere, offerreue posset creatori suo, quod insigniter ipsi gratum, acceptumque foret; cumq; ardenter lumen ab eo peteret, & desiderij flamma succresceret; de repente totum templi ambitum splendore perfunditur simul cœlitus intonat: Præclara res virginitas est. Proh quanta gaudia, quam liquida, quam mellita, à luce radiante, à voce personantè in pectus iuuenile inundauere? procidit illico in terram Emericus, & gratijs summa cum reuerentia, & amore actis virginitatem vouet, ac seipsum hoc est animam, & corpus victimam Deo consecrat ac obnixe rogat, vt quam exigere, & acceptare dignatus est virginitatis gemmam, tutari & intactam, splendidamq; pro sua benignitate seruet, cauebat autem diligenter ne ad hominis cuiuspiam præterquam confessarij notitiam secreti fauoris indulgentia deueniret., ideoque famulo adstati, quem vnicum secū

di-

dixerat seuerè edixit ne se viuente vlli mortalium, tacenda isthæc mira aperiret: vt vel hinc liqueat maximam facinorum præclarissimorum partem, quæ præstita ab adolescente angelico sunt, conscios dumtaxat cęlites habuisse.

Huius euentus ignarus Stephanus non magis nepotum, quam publicæ regni salutis cupidus, vt ei quam optimè consuleret, sponsæ Emerico quærendę adiecit animum, certus in eius prole, si daretur, regimen continuandum Hungariæ salutare, & reipublicæ Christianæ perhonorificum. Ante omnia igitur propitium habere numen per preces, ac sacrorum virorum litationes toto regno sollicitè curat, quæ vt Deo acceptiores essent, afflictatioues ipse sui corporis; & eleemosynarum largitiones liberaliter adiungit, neque virorum prudentium sensus explorare omittit, qui vbi regium consilium approbauere Emerico illud aperit, & consensum rationũ momentis exposcit. Quid hic agat probus, ac bene moratus filius à parentis nutu hactenus pendens, & in nullo refragans? Conniueat ne incunctanter? at votum obstat quo virginitatem celesti patri dicauit, cui placita terreni posthabenda sunt? obluctetur? ast per obedientiam, ac reuerentiam huic debitam nefas videtur, & inhumanum, afflictionem, mæroremque genitori humanissimo parere, turbare pacem, scandalum optimatibus vna cum rege inhianter ad nuptias istiusmodi propendentibus. In hoc fluctuan-

tium cogitationum æstu inducias à patre petit, atque interim intimo cordis affectu ad Deum confugiens lumen, & opem suppliciter apprecatur, & impetrasse declarauit euentus: certus enim nulli velificari concupiscentiæ, & fidem Sacramento firmatam inuiolatam seruare, haud dubiam concepit animo diuinitus illustrato spem, fore, vt sponsam, quæcumq; demum daretur à parentibus ad sua vota traheret, & cupiditate, quin etiam accenderet seruandi virginem castam, vt sub vno eodemque suaui pudicitiæ iugo connubij vinculum tolerare, officium coniugale prorsus abdicare. Atque ne illudi, sibi à sua cogitatione; & spe consequendi, quod valde optabat suggeri pertimesceret, lux quædã illapsa cęlitus efficiebat, & Dei frequens pollicitatio, quæ cum se ipsam indicaret ab omni temeritate securum obiectum consilium commonstrabat. Ergo arbitrio Parentis, ac desiderio cedens Emericus liberam de se disponendi facultatem relinquit, promptum se esse quando, & quam velit vxorem ducere.

Quo responso lætus Stephanus laudatu eius obedientia ad Crescimirum Dalmatiæ Regem nuncios misit, qui filiam eius formæ, & morum elegantia conspicuam vxorem Emerico deposcat Pannoniæ Reginam opportunè futuram: Nec laborandum diù fuit in negotio conficiendo, cuius fœlix exitus in partem fœlicitatis duorum regnorum cedebat: Narratum quidem hoc in monumentis

Dal-

Dalmatiæ à non ignobili ſcriptore ; ſed nemo hactenus repertus, qui tam diſertè, dilucideq; factum narrauerit, vt dubitandi de veritate anſam præciderit. Iccirco aliorum coniecturę locus relictus eſt, qui eiuſdem cum Gyſela agnationis ſponſam Emerici faciant,& verò ſimilius exiſtimét in eã maximè propédiſſe Stephanũ,tãquã ſtirpem, vt gloria nulli ſecundã,ita germinibus ſanctitatis,ſecũdã,quã auxere Henricus,& Chunegũdes,tum ſuperſtites, & in diuorum poſt obitum faſtos relati, ac æternum memorandi, quod ſub Imperatoria purpura candida lilia virginitatis ſeruantes mundo illuſerint, & carnis ſordes impolluto veſtigio calcauerint, Probabilitatem huic ſententiæ conciliant probitas, ac imitatio nouæ nuptæ, quæ ſumma promptitudine, & alacritate amplexata ſponſi conſilium, ſacrificium ſui corporis Deo obtulit, & florem virginitatis aræ crucis perlibens appendit: vt proinde nomen iunioris Chunegundæ mereatur, quam innominatam neſcio quo caſu, vel incuria ſcriptores reliquere; & cæteroqui ſimilem imperatrici cui parem reginam alteram, haud facile inuenias, & vix ſperare queas. Et Rex quidem qui matrimonij auctor, & procurator fuerat, vt nepotes patri ſimiles regno ſuo in longum prouideret, aliquanto tempore in expectatione, & cupiditate fructus nuptiarum manſit. Aſt vbi animaduertit ſponſos non modo à ſæculari vanitate alienos, ſed etiam ab illecebris, & volupta-

Torticus l. de Regib Illyr. & in vita S. Emer.

tibus, quas effusè regia suppeditat, mos gentium, vsque permittit, natura ipsa suadet coniugatis,subuereri cępit,quod res erat, coniuges quidem audire in vulgo; cæterum vt fratrem, ac sororem in secreto viuere; animum illos habere vnum in duobus corporibus, sed non esse duos in carne vna. Augebat suspicionem præteritæ morositatis in nuptijs admittendis recordatio; & post illas viuendi modus à nuptialibus hilarijs alienus: fuga à conuersationibus mundanorum, qui vanis confabulationibus temporis iacturam facere gaudent, choreatũ, displicentia suspicionem augebāt.Parentes tamen impedire, aut arguere non audebant, quæ Deo auctore, fautoreq; fieri non ex vano coniectabant, sed in eius prouidentiam filij gesta reijciebant, qui suam ipsorum vitam, atque consilia pendere ab eadem, dirigiq; peroptabant. Tenuit cursus hic vitæ à contracto matrimonio annos circiter septem; qui prioribus additi tertium. & vigesimum ætatis conficiunt, omnino fatalé,ac vltimum Emerico. correptus enim leui febricula est, quæ paulatim potentior medicamentis facta ad extrema duxit die septima non imparatum Christo Domino venienti, neque immaturũ cœlo; etenim munitus Sacramentis, & mysterijs postremis functus, coniungi in cęlis Christo diu dilecto in terris,ardenter optabat, ac animi ardoré geminatis é sacro psalte versibus depromebat. Aderant religiosi homines mox abituro, aderant Stephanus, & Gysela pa-

parentes, & mæſtiſſima coniux quã ipſis tener rimè cõmendauit non tã vxorẽ, quã ſororem ſuam, & ipſorum filiam. Adiunxit verba ad ſolandos illos, & in ſpem diuinam erigendos, & quos ſenſus concierit, quas lacrymas elicuerit intelligi fortè queat à perpẽdente ſingula, quæ non riuos, ſed torrentes dolorum, ac lacrymarum aperire poterant. Filius vnicus in flore iuuentę, forma decorus, gratia amabiliſſimus, ſponſus Virgo, Deo, Angelis hominibus acceptiſſimus mortis falce, præciditur; Et vno ictu multorum corda ſed genitorum in primis, ac ſponſæ letaliter vulnerantur. Neque medicamen aliud leniendæ atrocitati inuentum, quam à ſacris myrothecijs ſcripturarum ad profunda, & iuſta Dei iudicia pios lectores amandantium, in ijſque conquieſcere ſuadentium. Elatum funus eſt honorificè, & corpus ſepulturæ mãdatum Albæ regiæ in Baſilica Beatæ Virgini dicata, vbi ſepulchrum, & ſacellum Regum tum parabatur. Stetit oſtentui populi per dies triginta, magna frequentia confluentis, & pia oſcula manibus libantis. Parentes etiam, & vidua ſponſa quotidiana viſitatione ſuã orbitatem ſolabantur, nec ſatiari poterant aſpectu vultus, cuius auguſta maieſtas ſerenitate quadam temperata, & perſeuerans integra voces erant animæ cum Chriſto regnantis, & læta viſione perfruentis: Confirmauere miracula tam crebra, atque patentia, vt eorum fulgore diſpulſæ ſint nubes doloris, & aulæ paternæ, & regni totius mœror, cuius luctus

in gaudium, plausumq. versa sint, obijsse anno à Christo nato 1032. censent nonnulli, alij ann. 1306. 4. Nouemb. vt Baron. ad notas martyr diei illius. Adscriptus est Sanctis Fastorum Ecclesiæ vna cum Sancto Stephano eius parente à Benedicto Papa Octauo, quem nonum plerique vocauere.

Eadem qua decessit hora reuelatum est Eusebio Metropolitæ Cæsariensi viro Sancto animam eius ab Angelis in Cœlum deportari, vt Chartuitius, & Bonfinius affirmant. sermo est de Cæsario multos post annos ab altero eiusdem nominis quem à nota Arianæ hæresis purgat eruditissimus P. Aloix in tractatu peculiari defensionis Origenis.

In-

X

Induite Dominum Iesum Christum Rom. 13.

Induere Christum est vndique in nobis per sanctimoniam, & mansuetudinem Christum conspicuum esse. S.Chrysost. in hęc verba Apost.



B. Robertus Bingentium Dux.

Nihil animū. fidelē sic. delectat quam integra imaculati. pudoris consc.
S. Cypr.

Robertus Bingensium Dux.

RObertus, siue Ropertus hic est de quo ita Molanus ex Vsuardo die 15. Maij. Apud Bingam S. Roberti Ducis Palatini Rheni, & Confessoris &c.forte quia ex genere Palatinorum Rheni fuit; Cæterum ex Robolao Duce Bingionum Pagano, & Christianorum hoste natus est in vrbe Luhun ad formam munitissimæ arcis ab ipso redacta; è qua dominium per latè patentem prouinciam, fermè Moguntiam vsque protendebat. Data illi in vxorem Berta fœmina pientissima è stirpe Lotharingiæ principum cum dote amplissima, haud absque spe, certè non sine ingenti cupiditate conuersionis ad fidem, quam tamen hominis malus genius, & improbitas elusit. Annus, ac dies natalis Roberti à vitæ scriptore prætermissus facta duntaxat mētione Caroli Magni Imperatoris, quo regnāte prodijt in lucem puer, quem sibi gratia adoptare gauisa, ab incunabulis educare videri voluit, quoad in ipso adolescentię flore cœlo reddidit. Triennium non excesserat, cū Robolaus susceptis aduersus christianos armis miserè fuit interèmptus, locum fecit matri imbuendi in filiolum pietate quem Pater iam tum subsannare cœperat, & stolidum vocitare, quod christianos mores in illa ætatula præferre vti edocebatur, oblectaretur; Mari-

to

to functo Berta aliò se ad habitandum contulit, ac Lubun relicto Bringam supra Naham, seu Nauam fluuium commigrauit, ibique Ecclesia ædificata vitam instituit haud absimilem Bethleemiticæ Sanctæ Paulæ, collectis etiam pijs viris quorum opera iuuaretur in spiritu. Horum vnius curæ Robertulum septemnem, & vsu rationis iam pollentem commisit, à quo litteras, & mores principe christiano dignos edoceretur. Vix duodennis cogitanti parenti de templo ædificando respondit puer pro singulari in pauperes leuandos propensione, fore satius, & Deo acceptius pretium ædificij egenis elargiri; quo responso mirificè delectata parens intima teneritudine tacta est, quam adauxit recordatio ingeniosi inuenti, quo olim ad pauperculos amandos. fouendosq; prouocauerat: collectum namq; mendicabulorum manipulum in conspectum parentis adduxerat, & eorum intercessore egerat tribus verbis, prolixa precatione valentioribus, Ecce filij tui. Crescebat autem cum ipso misericordia, modestia, virtutes omnes quibus Gratia diuina earũ altrix ab incunabulis incrementa dabat apud Deum, & homines. Quam esset superis in delitijs, cum alijs signis compertum est à pia genitrice, tum apertè quando ipsi somnium suum velut alter Ioseph ingenuè denarrauit. Vidi, inquit, per quietem senem pulchritudinis miræ in vndis pellucidis puerolos abluentem, vndequaque nitentes stolis candidissimis induentem; Cui dixi. Hic manere

nere cor meum desiderat. Respondit ille. Nequaquam hic manebis, sed scalam tibi parabo, vt eo conscendas, vbi socios Angelos habebis Perge porrò in pauperum cura, & tu ipse pasceris pane vitæ, & veste super indueris. qua Adam delinquendo exutus est Gauisa valdè mater est dignatione cœlesti erga filium ostensa. & reputans senis hortationem ad se qnoque pertinere habitacula in Nosocomij formam ad ripas fluminis Nahā extrui iussit, & in ijs non exiguam miserorum multitudinem confluentem aluit, cui vna cum Roberto inseruire voluit, non dedignata lectos sternere, pauimenta verrere, & quicquid ad solamen decumbentium faceret, quamuis abiectum, & laboriosum obire.

Inter hæc immissa cupiditas Roberto est S. Alexium imitandi, & Romę sacras memorias inuisendi. Quam vt indicauit matri, nequicquam ea inconsulta, inuitaue moliretur, Abnuit illa primum, quod minimè opportunam tempori, & filio congruam peregrinationem duceret. Verum vbi rationes ipsi suas explicauit, & ad numen apprecandum amisit, eo ducente, eo inspirāte facilè assensum prębuit, vel ob id maximè quod obtenderet Robertus vix iam superesse modum alium liberandi se ab importunis suasionibus nobilium familiarium ad sæcularia inuitantium, ni se ab eorum consuetudine diuelleret; quod pręstari cōmodius haud poterat, quam relicta,

quam


quàm relicta ad tempus aliquid patria externas regiones obire, & incognita loca per orbem, sacra visitare. Dedit ergo se viæ paucis cum socijs eiusdem propositi. Romam, vbi peruenit, nihil illi antiquius quam templa, & reliquias Sanctorum quibus abundat, venerari; plures horas apud ipsorum sepulcra, & aras orando consumere; cum viris religiosis, ac apprime Deo deuotis versari; documenta vitæ spiritalis ab eis quærere; Sacramentis Ecclesiæ munire animum, nihil omittere eorum quibus peregrinantes ad Apostolos locupletiores sacris muneribus in patriam reuertuntur. Cum autem eximiæ probitatis viro sua consilia, acta præteritæ vitæ, & cogitationes futuræ aperuisset ea gratia, vt eo duce, ac magistro in posterum viam iniret, quam Domino magis placere arbitraretur; Non aliud accepit ab eo responsum, quam quod olim adolescens probus à Christo D. Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da pauperibus, &c. Verum non sicut ille abijt tristis licet plures illo possessiones habens, sed reuersus in patriam, quà pauperibus alendis, qua templis ędificandis, amplos prouentus liberaliter impendens non amorem solum; Sed & admirationem popularium suorum excitabat. Neque tamen deerant ex nobilitate præcipuè, qui id vitæ genus improbantes in floridæ ætatis adolescéte, ad hilaria, & voluptates inuitarent, & obtruderent inuito, quæ cane peius, & angue oderat anima eius. Horum importuni-

tati,

tati, & peccandi periculis, vt se subduceret, rursus exire de terra, & cognatione sua constituit, & ignotus per orbem terrarum, Sancti Alexij imitatione peregrinari. Cumq; de rebus suis disponere cogitaret, illudque ante omnia curandum sibi putaret, vt optimæ parenti, quam fieri posset diligentissimè consultum esset à sua discessione, antequã abiret peregrinationem absoluit, & in patriam peruenit beatorum. Etenim senex ille venerandus, ac amabilis quiescenti secundò apparẽs, Ego, inquit, antiquus dierum, qui Danieli visendum me olim præbueram veni, vt in floridum pomarium, quod tum ostenderam deducam, & fructus operum bonorum gustãdos præbeam. Narrauit matri insomnium, cui aliud paucas ante noctes absimile quidem contigerat, sed eiusdem prænuncium exitus, ac instantis filij resolutionis, quippe sopori dedita visa sibi est videre de costarum serie vnam diuelli, & in terram prolabi. Anxia, quid mali portenderet prolapsio isthæc, obitum Roberto instantem tetro illo aspectu indicatum haud dubie intellexit. Et non ingemiscere quidem non potuit amantissima parens, ast diu diuinæ volũtati acquiescere sueta, illacrymans dixit; Dominus dedit, Dominus auferet, sit nomen eius benedictum. Verum vtriusq; fuisse somnium probauit ægritudo quæ mox insecuta per dies 30. lecto iacentem exercuit, & crebro ad cœlestia anhelantem confecit vigesimumq; ætatis agentem annum Paradiso

red-

reddidit Corpus sepulturæ mandatum in tẽplo super Nahun ab ipso ędificato magno populorum concursu, quem augebat functi conditio, sanctitatis opinio, & multò maximè miraculorum frequentia, quæ per integros octo durauit annos; & his vix non admemorandum, quod cũ Northmanni in Binguonicam regionem irrupissent, & totam circumquaq; ruinis, ac cœdibus vastassent. Bingam quoque Robolai vrbem euertissent Ecclesię, ac sepulchro Roberti pepercere. Ibi Berta mæstissima vidua, quæ à procis aliquot ob formæ elegantiam, & opulentam dotem ad secundas nuptias pene cogebatur, reiectis sponsis omnibus terrenis desponsata est in fide, caritate, & gratia cœlesti, cui cũ selectis fœminis per annos 15. in omni humilitate, & oratione seruiuit, ac tandem prope filium exuuias deponendas reliquit.



Quo-

2

Quousque Domine irasceris in finem, exardescet velut ignis zelus tuus Ps. 78.

Nomine iræ intelligitur vindicta iniquitatis, nomine zeli exactio castitatis, ne anima legem Domini sui contemnat, & à Deo suo fornicando dispereat. S. Aug. in ps. 78.



S·SEBALDVS·Princeps·

Virginitas tanto nuptÿs præſtat, quanto cœlum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt. S.Chriſoſt.

S. Sebaldus Peregrinus.

Regiæ ſtirpis ſoboles Sebalde
Norica multum veneratus Vrbe,
Da tuam nobis memorare ſanctam
Carmine vitam.
Te ſacris votis generant parentes
Cum diu lecto ſterili vacaſſent
Teque ſuſcepto ſtatuere caſtam
Ducere vitam.
Natus hic Sanctus puer ergo votis
Galliæ claram properans in vrbem
Artibus ſacris, animumque cultis
Moribus ornat.

Refert ex antiquis monumentis hæc carmina Mat: Raderus to. 2. Bauariæ Sanctæ fol. 59. De illo etiã Canis in Martyr. & alij ſcriptores de ſanctis Germaniæ.

Regie fuiſſe ſtirpis vnanimis eſt ſcriptorum conſenſus; ſed diſſenſus in eo maximus, quod alij Britannum, vel Hibernum, vel Scotum, alij Danum, vel Dacum natione aſſerunt, neq; tamen parentes nominant. Simplicitas ne; aut incuria æui fuerit parui refert. Regia proles fuit, nunc Ciuis Sanctorum eſt.

Lutetiam Pariſiorum miſſum à parentibus ante conditam licet Academiam, optimis præceptoribus in litteris inſtituendum, tradunt.

Hauſeras Sanctas vbi mente leges
Patriam doctor redijſti in aulam
Regiam, quærunt tibi mox venuſtam
Iungere ſponſam.
Vt dies lætis fuerat peracta
Nuptijs, Virgo pudibunda vultu

Ducitur celſo tibi copulanda
Candida lecto.
Cumque iam clauſum fuerat cubile
Et quies cunctis foret alta rebus
Tu tuæ ſponſæ loqueris pudicæ
Talia Verba
Nata de magno mea Sponſa Rege
Non tuum caſtum violabo corpus
Si placet mecum pia vota caſtæ
Iungere vitæ.
Annuit Virgo tenero pudore,
Et Deo magnas dedit ore grates
Integram Seruans generoſa caſto
Corpore vitam.

Quæritur illi ſponſa à ſtudijs redeunti, deſponſæ prima nuptiarum nocte, vt alter Alexius ſuadet, vt ſibi integra Virginitate abire permittat. Fidei (clauſula perorantis eſt) mutuò ſint tutores Ioſeph Virgineus Sponſus virginalis aulæ cuſtos Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ſub quorum teſtimonio hanc arcā virginalis integritatis gemma decoratam; perfectam arculari figura accipito, eandem præſentaturus illi qui eſt flos, fructuſque Virginis.

Ipſe mox celſam genitoris aulam
Spiritus Sancti monitu relinquens
Horridam Syluam, Herciuiamq; vaſtis
Saltibus intras.
Et per exeſas caua Saxa rupes
Stratus orabas manibus ſupinis

Fer-

Feruidum solem, Boreamque, niuesque
Passus, & imbres.
Et feras inter medias quiescens
Sępè montanis satiatus herbis
Hauseras puram liquidis fluentem
Fontibus vndam.
His vbi corpus dapibus fouere,
Mentis in puram tenuatus auram
Sæpe diuino nitido videbas.
Pectore vultus.
Sic tribus lustris tacito peractis
Inde Romanam properas ad Vrbem
Quam Dei Verbum monuit per orbem
Spargere Pastor.

Incidisse in S. Richardum Angliæ Regem, & Filios VVilibaldum, & VVnibaldum tres Sanctos referunt, adduntq; inopia laborantibus alimenta cœlitus impetrasse.

Ipse mandatum recipis paternum
Et vagus terras varias pererras
Donec immensum peregre venires.
Lætus ad Istrum.
Hic vbi cymbis tumidis careres
Præbuit tutam, pater almo, nauem
Pallium, quo tunc fueras pudico
Corpore tectus.
Moxque per vastas Nemoris latebras
Noricam lætus veniens in vrbem
Hanc docens sacro monitu profanos
Linquere cultus.
Et Deum celso residere Coelo

Prædicas pœnas vitijs daturum,
Quique virtuti tribuet beatæ.
Præmia vitæ.
Ille de casta genitrice natus
Corporis mortem tulerat cruentam
Tertio Phębo, radiens sepultis
Victor ab oris.

Venisse dicitur Ratisbonam, diuertisse ad humilem pauperis casam, ignem deficientibus lignis mirabiliter excitasse ad frigus horridum pellendum, redintegrasse vitrea fracta.

Deerant Danubio pontes, & naues, sternit vestẽ, eaque conscensa sicco vestigio fluuium traijcit.

Syluam in ambitu sexdecim millia passuum continentem inter Regnosum, Pegnosumque amnes sitam ingreditur, & incolis legem Dei prædicat, ac instituit ad pietatem. Ibi erutus piscatori oculos restituit.

Approbas multis tua verba signis
Scripta quæ libro reperi fideli
Nec minus claris hodie coruscas
Inclyte Regnis.
Cumque iam longo fueras labore
Fessus, & sedes meritus beatas
Te senem nostras Deus imperabat
Linquere terras.
Spiritus sacros vbi liquit artus
Mox boues corpus tulerant agrestes
Quà

Quà tuas Sanctas modò personamus
Carmine laudes.
Ergo iam Cœlo meritò locatus
Hanc velis vrbem medijs arenis
Conditam Sanctis precibus iuuare
Sedulus orans.
Terra fœcundo madeat liquore
Et salutares habeat calores
Spiceam gestans Cereris coronam
Fœnore multo.

Tradunt aliqui, in ipsa Sylua decessisse, & corpus iumentis impositum Norimbergam delatum in locum, vbi deinceps insignis Basilica extructa est, affirmantibus alijs Sanctũ; senio confectum eò se recepisse, & in oratorio Sancti Martini, vbi Cęnobium ordinis Sancti Benedicti erectum fuit, exceptum, Sanctissimè obijsse, & inde à iumentis in locum prædictum adductum.

Crebris miraculis clarum Martinus V. Pontifex Maximus Sanctis adscripsit 14. Cal. Sept. quo die 19. videlicet, Augustę migrauerat ex hac vita.

Spumet & plenis rubicundus vuis
Bacchus, & frontes tetricas relaxet
Et pecus lætis nemorosa carpat
Pascua pratis.
Prosperos seruent radiosa cultus
Astra, nec morbos subitos minentur
Paxque per nostras maneat perenni
Tempore terras.

Fata Germanis faueant triumphis,
Dum petit Turcos gladijs cruentis
Principis nostri iuuenile robur
Maximiliani.

Hinc vbi nostras animas solutis
Corporum vinclis Deus euocabit
Confer, vt tecum capiamus alti
Gaudia Cœli.

Hęc vbi nobis pater impetrabis
Ante supremi faciem tonantis
Hic tuas semper cumulemus aras
Thure benigno.

Corpus deinde in templum SS. Petri, & Pauli translatum, & Magnificentissimo Mausoleo conditum, in summa semper veneratione fuit apud Norimbergenses, quoad Lutherana pestis cultum hunc, Deo permittente, & Diabolo furorem, insanissimis capitibus imminente, aboleuit, præfinito in Cœlo tempore rediturum.



a

Ambulate in dilectione, ſicut, & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis. Epheſ.c.5.

Ama amorem illius, qui amore tui deſcendit in vterum Virginis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulauit, humiliando ſe, ſubleuando te, coniungendo lumen ſuæ æternitatis limo tuæ mortalitatis. S. Aug. de catechiz.rud.

to functo Berta aliò se ad habitandum contulit, ac Lubun relicto Bringam supra Naham, seu Nauam fluuium commigrauit, ibique Ecclesia ædificata vitam instituit haud absimilem Bethleemiticæ Sanctæ Paulæ, collectis etiam pijs viris quorum opera iuuaretur in spiritu. Horum vnius curæ Robertulum septemnem, & vsu rationis iam pollentem commisit, à quo litteras, & mores principe christiano dignos edoceretur. Vix duodennis cogitanti parenti de templo ædificando respondit puer pro singulari in pauperes leuandos propensione, fore satius, & Deo acceptius pretium ædificij egenis elargiri; quo responso mirificè delectata parens intima teneritudine tacta est, quam adauxit recordatio ingeniosi inuenti, quo olim ad pauperculos amandos. fouendosq; prouocauerat: collectum namq; mendicabulorum manipulum in conspectum parentis adduxerat, & eorum intercessore egerat tribus verbis, prolixa precatione valentioribus, Ecce filij tui. Crescebat autem cum ipso misericordia, modestia, virtutes omnes quibus Gratia diuina earũ altrix ab incunabulis incrementa dabat apud Deum, & homines. Quam esset superis in delitijs, cum alijs signis compertum est à pia genitrice, tum apertè quando ipsi somnium suum velut alter Ioseph ingenuè denarrauit. Vidi, inquit, per quietem senem pulchritudinis miræ in vndis pellucidis puerolos abluentem, vndequaque nitentes stolis candidissimis induentem; Cui dixi. Hic manere

nere cor meum desiderat. Respondit ille. Nequaquam hic manebis, sed scalam tibi parabo, vt eo conscendas, vbi socios Angelos habebis Perge porrò in pauperum cura, & tu ipse pasceris pane vitæ, & veste super indueris. qua Adam delinquendo exutus est Gauisa valdè mater est dignatione cœlesti erga filium ostensa. & reputans senis hortationem ad se qnoque pertinere habitacula in Nosocomij formam ad ripas fluminis Nahā extrui iussit, & in ijs non exiguam miserorum multitudinem confluentem aluit, cui vna cum Roberto inseruire voluit, non dedignata lectos sternere, pauimenta verrere, & quicquid ad solamen decumbentium faceret, quamuis abiectum, & laboriosum obire.

Inter hæc immissa cupiditas Roberto est S. Alexium imitandi, & Romę sacras memorias inuisendi. Quam vt indicauit matri, nequicquam ea inconsulta, inuitaue moliretur, Abnuit illa primum, quod minimè opportunam tempori, & filio congruam peregrinationem duceret. Verum vbi rationes ipsi suas explicauit, & ad numen apprecandum amisit, eo ducente, eo inspirāte facilè assensum prębuit, vel ob id maximè quod obtenderet Robertus vix iam superesse modum alium liberandi se ab importunis suasionibus nobilium familiarium ad sæcularia inuitantium, ni se ab eorum consuetudine diuelleret; quod pręstari cōmodius haud poterat, quam relicta,


quam

quàm relicta ad tempus aliquid patria externas regiones obire, & incognita loca per orbem, sacra visitare. Dedit ergo se viæ paucis cum socijs eiusdem propositi. Romam, vbi peruenit, nihil illi antiquius quam templa, & reliquias Sanctorum quibus abundat, venerari; plures horas apud ipsorum sepulcra; & aras orando consumere; cum viris religiosis, ac apprime Deo deuotis versari; documenta vitæ spiritalis ab eis quærere; Sacramentis Ecclesiæ munire animum, nihil omittere eorum quibus peregrinantes ad Apostolos locupletiores sacris muneribus in patriam reuertuntur. Cum autem eximiæ probitatis viro sua consilia, acta præteritæ vitæ, & cogitationes futuræ aperuisset ea gratia, vt eo duce, ac magistro in posterum viam iniret, quam Domino magis placere arbitraretur; Non aliud accepit ab eo responsum, quam quod olim adolescens probus à Christo D. Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da pauperibus, &c. Verum non sicut ille abijt tristis licet plures illo possessiones habens, sed reuersus in patriam, quà pauperibus alendis, qua templis ędificandis, amplos prouentus liberaliter impendens non amorem solum; Sed & admirationem popularium suorum excitabat. Neque tamen deerant ex nobilitate præcipuè, qui id vitæ genus improbantes in floridæ ætatis adolescēte, ad hilaria, & voluptates inuitarent, & obtruderent inuito, quæ cane peius, & angue oderat anima eius. Horum importunitati,

tati, & peccandi periculis, vt se subduceret, rursus exire de terra, & cognatione sua constituit, & ignotus per orbem terrarum, Sancti Alexij imitatione peregrinari. Cumq; de rebus suis disponere cogitaret, illudque ante omnia curandum sibi putaret, vt optimæ parenti, quam fieri posset diligentissimè consultum esset à sua discessione, antequã abiret peregrinationem absoluit, & in patriam peruenit beatorum. Etenim senex ille venerandus, ac amabilis quiescenti secundò apparẽs, Ego, inquit, antiquus dierum, qui Danieli visendum me olim præbueram veni, vt in floridum pomarium, quod tum ostenderam deducam, & fructus operum bonorum gustãdos præbeam. Narrauit matri insomnium, cui aliud paucas ante noctes absimile quidem contigerat, sed eiusdem prænuncium exitus, ac instantis filij resolutionis, quippe sopori dedita visa sibi est videre de costarum serie vnam diuelli, & in terram prolabi. Anxia, quid mali portenderet prolapsio isthæc, obitum Roberto instantem tetro illo aspectu indicatum haud dubie intellexit. Et non ingemiscere quidem non potuit amantissima parens, ast diu diuinæ volũtati acquiescere sueta, illacrymans dixit; Dominus dedit, Dominus auferet, sit nomen eius benedictum. Verum vtriusq; fuisse somnium probauit ægritudo quæ mox insecuta per dies 30. lecto iacentem exercuit, & crebro ad cœlestia anhelantem confecit vigesimumq; ætatis agentem annum Paradiso

red-

reddidit Corpus sepulturæ mandatum in téplo super Nahun ab ipso ędificato magno populorum concursu, quem augebat functi conditio, sanctitatis opinio, & multò maximè miraculorum frequentia, quæ per integros octo durauit annos; & his vix non admemorandum, quod cũ Northmanni in Binguonicam regionem irrupissent, & totam circumquaq; ruinis, ac cœdibus vastassent. Bingam quoque Robolai vrbem euertissent Ecclesię, ac sepulchro Roberti pepercere. Ibi Berta mæstissima vidua, quæ à procis aliquot ob formæ elegantiam, & opulentam dotem ad secundas nuptias pene cogebatur reiectis sponsis omnibus terrenis desponsata est in fide, caritate, & gratia cœlesti, cui cũ selectis fœminis per annos 15. in omni humilitate, & oratione seruiuit, ac tandem prope filium exuuias deponendas reliquit.



Quo-

2

Quousque Domine irasceris in finem, exardescet velut ignis zelus tuus Ps. 78.

Nomine iræ intelligitur vindicta iniquitatis, nomine zeli exactio castitatis, ne anima legem Domini sui contemnat, & à Deo suo fornicando dispereat. S.Aug. in ps.78.

S. Sebaldus Peregrinus.

Refert ex antiquis monumentis hæc carmina Mat: Raderus to. 2. Bauariæ Sanctæ fol. 59. De illo etiã Canis in Martyr. & alij scriptores de sanctis Germaniæ.

Regiæ stirpis soboles Sebalde
  Norica multum veneratus Vrbe,
Da tuam nobis memorare sanctam
    Carmine vitam.
Te sacris votis generant parentes
  Cum diu lecto sterili vacassent
Teque suscepto statuere castam
    Ducere vitam.
Natus hic Sanctus puer ergo votis
  Galliæ claram properans in vrbem
Artibus sacris, animumque cultis
    Moribus ornat.

Regie fuisse stirpis vnanimis est scriptorum consensus; sed dissensus in eo maximus, quod alij Britannum, vel Hibernum, vel Scotum, alij Danum, vel Dacum natione asserunt, neq; tamen parentes nominant. Simplicitas ne, aut incuria æui fuerit parui refert. Regia proles fuit, nunc Ciuis Sanctorum est.

Lutetiam Parisiorum missum à parentibus ante conditam licet Academiam, optimis præceptoribus in litteris instituendum, tradunt.

Hauseras Sanctas vbi mente leges
  Patriam doctor redijsti in aulam
Regiam, quærunt tibi mox venustam
    Iungere sponsam.
Vt dies lætis fuerat peracta
  Nuptijs, Virgo pudibunda vultu

Ducitur celſo tibi copulanda
Candida lecto.
Cumque iam clauſum fuerat cubile
Et quies cunctis foret alta rebus
Tu tuæ ſponſæ loqueris pudicæ
Talia Verba
Nata de magno mea Sponſa Rege
Non tuum caſtum violabo corpus
Si placet mecum pia vota caſtæ
Iungere vitæ.
Annuit Virgo tenero pudore,
Et Deo magnas dedit ore grates
Integram Seruans generoſa caſto
Corpore vitam.

Quæritur illi ſponſa à ſtudijs redeunti, deſponſæ prima nuptiarum nocte, vt alter Alexius ſuadet, vt ſibi integra Virginitate abire permittat. Fidei (clauſula perorantis eſt) mutuò ſint tutores Ioſeph Virgineus Sponſus virginalis, aulæ cuſtos Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ſub quorum teſtimonio hanc arcã virginalis integritatis gemma decoratam; perfectam arculari figura accipito, eandem præſentaturus illi qui eſt flos, fructuſque Virginis.

Ipſe mox celſam genitoris aulam
Spiritus Sancti monitu relinquens
Horridam Syluam, Herciuiamq; vaſtis
Saltibus intras.
Et per exeſas caua Saxa rupes
Stratus orabas manibus ſupinis

Fer-

Feruidum solem, Boream, niuesque
Passus, & imbres.
Et feras inter medias quiescens
Sępè montanis satiatus herbis
Hauseras puram liquidis fluentem
Fontibus vndam.
His vbi corpus dapibus fouere,
Mentis in puram tenuatus auram
Sæpe diuino nitido videbas
Pectore vultus.
Sic tribus lustris tacito peractis
Inde Romanam properas ad Vrbem
Quam Dei Verbum monuit per orbem
Spargere Pastor.

Incidisse in S. Richardum Angliæ Regem, & Filios VVilibaldum, & VVnibaldum tres Sanctos referunt, adduntq; inopia laboranti-bus alimenta cœlitus impetrasse.

Ipse mandatum recipis paternum
Et vagus terras varias pererras
Donec immensum peregre venires.
Lætus ad Istrum.
Hic vbi cymbis tumidis careres
Præbuit tutam, pater alme, nauem
Pallium, quo tunc fueras pudico
Corpore tectus.
Moxque per vastas Nemoris latebras
Noricam lætus veniens in vrbem
Hanc docens sacro monitu profanos
Linquere cultus.
Et Deum celso residere Coelo

Prædicas pœnas vitijs daturum,
Quique virtuti tribuet beatæ.
Præmia vitæ.
Ille de casta genitrice natus
Corporis mortem tulerat cruentam
Tertio Phębo, radiens sepultis
Victor ab oris.

Venisse dicitur Ratisbonam, diuertisse ad humilem pauperis casam, ignem deficientibus lignis mirabiliter excitasse ad frigus horridum pellendum, redintegrasse vitrea fracta.

Deerant Danubio pontes, & naues, sternit vesté, eaque conscensa sicco vestigio fluuium traijcit.

Syluam in ambitu sexdecim millia passuum continentem inter Regnosum, Pegnosumque amnes sitam ingreditur, & incolis legem Dei prædicat, ac instituit ad pietatem. Ibi erutus piscatori oculos restituit.

Approbas multis tua verba signis
Scripta quæ libro reperi fideli
Nec minus claris hodie coruscas
Inclyte Regnis.
Cumque iam longo fueras labore
Fessus, & sedes meritus beatas
Te senem nostras Deus imperabat
Linquere terras.
Spiritus sacros vbi liquit artus
Mox boues corpus tulerant agrestes

Quà

Quà tuas Sanctas modò personamus
Carmine laudes.
Ergo iam Cœlo meritò locatus
Hanc velis vrbem medijs arenis
Conditam Sanctis precibus iuuare
Sedulus orans.
Terra fœcundo madeat liquore
Et salutares habeat calores
Spiceam gestans Cereris coronam
Fœnore multo.

Tradunt aliqui, in ipsa Sylua decessisse, & corpus iumentis impositum Norimbergam delatum in locum, vbi deinceps insignis Basilica extructa est, affirmantibus alijs Sanctú; senio confectum eò se recepisse, & in oratorio Sancti Martini, vbi Cœnobium ordinis Sancti Benedicti erectum fuit, exceptum Sanctissimè obijsse, & inde à iumentis in locum prædictum adductum.

Crebris miraculis clarum Martinus V. Pontifex Maximus Sanctis adscripsit 14. Cal. Sept. quo die 19. videlicet, Augustę migrauerat ex hac vita.

Spumet & plenis rubicundus vuis
Bacchus, & frontes tetricas relaxet
Et pecus lætis nemorosa carpat
Pascua pratis.
Prosperos seruent radiosa cultus
Astra, nec morbos subitos minentur
Paxque per nostras maneat perenni
Tempore terras.

Fata Germanis faueant triumphis,
Dum petit Turcos gladijs cruentis
Principis nostri iuuenile robur
Maximiliani.
Hinc vbi nostras animas solutis
Corporum vinclis Deus euocabit
Confer, vt tecum capiamus alti
Gaudia Cœli.
Hęc vbi nobis pater impetrabis
Ante supremi faciem tonantis
Hic tuas semper cumulemus aras
Thure benigno.

Corpus deinde in templum SS. Petri, & Pauli translatum, & Magnificentissimo Mausoleo conditum, in summa semper veneratione fuit apud Norimbergenses, quoad Lutherana pestis cultum hunc, Deo permittente, & Diabolo furorem, insanissimis capitibus imminente, aboleuit, præfinito in Cœlo tempore rediturum.



a

Ambulate in dilectione, ſicut, & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis. Epheſ.c.5.

Ama amorem illius, qui amore tui deſcendit in vterum Virginis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulauit, humiliando ſe, ſubleuando te, coniungendo lumen ſuæ æternitatis limo tuæ mortalitatis. S. Aug. de catechiz.rud.



S. ALEXIVS.

Virginitas hominem incorruptibili Deo simillimum facit. S. Basil.

O Agnitio nulli theatrorum agnita, in nulla Scena repreſentata ſimilis, antequam virginitas perſonas induceret, & argumenta immutationum rara, inuſitata, admiranda ſuppeditaret. Alexius ſub coniugis velamine, ſponſę ſuę frater; ex Ciue Romano, peregrinus orbis terrarum; ex diuite pauper; ex Domino ludibrium ſeruorum domeſticorum; exul in patria; extraneus in domo paterna; pręſens abſentem quærentibus; ſuperſtes mortuum lugentibus; in vita ſilens; in morte loquens, in angulo palatij incognitus: quiſquilijs plebis accenſus; inops, ieiunus, contemptus, in templis Angelorum vocibus manifeſtatur à Summo Pontifice, ab Imperatore, à Senatu, à Nobilitate, à populo Sanctus acclamatur, & colitur; magnifica honorum pompa decoratur. O prodigia inaudita? Age anime, virginitati obſequere, & eius alumni in paucis clari candorem, atramento ſaltem delinea, ac eius geſta aliqua ſtrictim percurre, quæ antiquitas certa poſteritati tranſmiſit.

Alexius vnicus Eupheminiani Senatoris Rom. & Aglaes paris nobilitatis filius, precum eleemoſynarum, pretio in Solatium Sterilitatis à Deo obtentus, ſuxit cum lacte pietatem; & in ipſo adoleſcentiæ diligentiſſimè excultæ flore, iuſſu parentum matrimonio iunctus eſt puellæ genere, forma, diuitijs nulli

poſt-

posthabendæ, quod plerique scriptores omnes tradidere, tacito interim nomine, & agnatione; ni fortè temporum iniuria oblitetata sint. In ipsa nuptiarum nocte non veritus alta, quę coquebat animo consilia cœlitus immissa aperire, & explicata continentiæ excellentia candidam columbam ad eius amorem inducere, suumque corpus victimā offerre Sponsis Christo, ac Matri eius Sanctissimæ; impetrato consensu, anulum de suo detractum, Sponsæ imponit digito, & monilia addit amoris pignora, atque arrhas melioris in spiritu desponsationis. poterant hæc esse vincula perpetuę cum ipsa mansionis, & abdicato iam hymenęo, cœlestioris in eadem domo conuersationis; ast iuuenis castissimi auris diuinis assueta vocibus, auscultauit Deo vocanti aliò, & de vrbe, atque cognatione exire præcipienti. Relicta igitur inter lacrymas liquidissimas sponsá, mutauit habitum, ne dignosceretur, & nocturnis tenebris fugam tutantibus ad Portum Romanum profectus incidit in nauem mox soluturam, eaque cōscensa Laodiceā Asiæ prospero ventorum flatu peruenit; indeqúe terrestri itinere Edessam Mesopotamiæ contendit; quò inuitabant celeberrimæ imagines, Christi Saluatoris altera ad Agabarum dono missā, Beatissimæ parentis altera ad aram nobilis templi exposita, & in summa veneratione habita. Hic diuenditis, quas secum Roma tulerat gēmis, opellisq; aureis, ne teruncio quidē retento in pauperes cuncta distri-
buit

buit, & vnus de eorum grege factus mendicato viuere, noctem pleramque sub porticu, in precibus transigere, easque de die in attiguo eiusdem Virginis templo continuare. Peruenerant eò Cursores in varias orbis partes ad quærendum filium à parentibus dimissi; sed vestium vilitas, capillus impexus, ac prolixus, macies, pallor, velum obduxere, ne cogniti ipsi quæsitum oculis occursantem agnoscerent, & cœlestibus dumtaxat notus annos septemdecim humilitati, patientiæ, pietati operari pergebat, quoad Cœli Regina Aedituo Ecclesiæ quis, quantusque esset peregrinus ille per os imaginis reuelante, in notitiam publicam venit, ac certatim ab omni hominum genere honorari, ac in summa haberi veneratione cœpit. Tunc enim verò vehementi dolore ictus egregius sui contemptor, & osor honorum, Edessa exire festinat, ac Tarsum Ciliciæ vrbem magnifico D. Pauli templo celebrem, adire meditans, vectoribus alijs eò tendentibus adiunxit sese; at nauis ventis reflantibus aliò impulsa, post varias agitationes Ostię Tyberniæ portum tandem tenuit: hunc nauigij errorem Cœlitus edoctus non casu, sed numinis cuncta disponentis voluntate contigisse nouit, & rursus Romam se vocari minimè dubitauit. Huc ingressus, vt præcipuas adiuit Sanctorum Basilicas, statuit hospitium in paterni palatij angulo quæritare. Quid facis Alexi? ibi parentis, ibi amici frequenter videbuntur, ac videberis? an tibi cor ferreum

vt mutui conspectus iacula non figant; ac orbitatem suam flebiliter conquerentes, an eorum fletus, ac gemitus siccis oculis sustinebis? venient in mentem veteres delitiæ aulæ, suauis affinium conuersatio, famulantium obsequia, familiarium blandimenta; occurret passim in oculis etiam nolenti familiæ pompa consanguineorum, ac reliquæ nobilitatis Romanæ parentes inuisentis turba, & non mœrebis solitudinem, squaloremque tuum, nec te præsens infœlicitas anget, quæ præteritæ fœlicitatis commonebit? Nugæ istæ delicatorum militum sunt, & terricu-lamenta puerorum: fortior Alexius est quam vt illa expauescat sui victor, & Mundi triumphator: hæret pectori lorica fidei, caput galea salutis munit; latera gladius fortitudinis, ac cingulum virginitatis adstringit, animum in Deum fiducia roborat. Audacter igitur patri per vrbem asseclarum stipato caterua ambulanti, obuiam factus, humili supplicatione rogat dignetur sibi pauperculo angulū semotum ad habitandum Dei amore concedere, & de micis, quæ seruorum suorum mensæ supersunt ad arcendam mortem exiguam dimensum elargiri, se memorem beneficij apud Deum fore in suis precibus, & sperare largam pro impensa benignitate ab illo benedictionem. O Senator bone si scires quis est, qui petit à te domatis angulum, & panis frustula, quàm auidè osculis, & amplexibus saturatum pristinæ habitationis commodis ex templo domum rediens restituisses?

sed

ſed immutatio vultus ſimilitudinem alterius expreſſerat, & non agnouit filium in ea Pater. Conceditur tamen ad habitandum tuguriolum prope ampli palatij ianuam, vbi ſub ſcalæ ligneæ gradibus fortunatus hoſpes mundo incognitus, Angelis familiaris, vili tectus palliolo, ſine lecto, ſine cibo, niſi, quà fruſtula panis dabantur à famulorum aliquo, & potum fontana ſubminiſtrabat. Tota occupatio conuerſatio cum cœlitibus erat, quam iucundiorem reddebat frequens Euchariſtiæ ſumptio, & vehemens Deum videndi ſpes, ac deſiderium. Vt verò huius explendi tempus aduenit, à Domino pręmonitus, & ad Cœnam Agni Cęleſtis inuitatus., nomen ſuum, parentum, ſponſę, & vitæ ſuę ſeriem dilucidè deſcripſit in charta, eamque manu apprehenſam appreſſit pectori paulò poſt ingentes motus admirationis, clamoris, lacrymarum excitaturam. Etenim Innocentio in ędę principe coram Imperatore, & infinita populi multitudine ſacris operante de repente vox cantum miniſtrorum abſorbens validè intonuit (Venite ad me omnes qui laboratis, & ego reficiam Vos) obſtupuere cuncti, & humi abiecti miſericordiam à Domino implorabant. Congeminata vox in hęc verba (feria ſexta Dei ſeruus de hoc mundo exibit: quærite illum diligenter; nam pro Vrbe Romana orabit. Manſit ſuſpenſa expectatione, ac cupiditate auſcultans turba, & die indicta ad templum copioſiòr redijt, ſi fortè explicatius quidpiam de ſeruo Dei, &

de

de loco vbi quæri iubebatur audiret, nec fraudata sua spe, ac desiderio est; dum enim cęlestem interpretem præstolatur, & supplex numen adorat, Ecce de aere rursus exclamantem, quærite Dei seruum in domo Euphemiani (& aderat Euphemianus) cuius cordi sagitta fuit monitum personantis Angeli, & tantum non concidit exanimis, & extra se abijt. Porrò Pontifex, Imperator, Senatus, ac gens tota ad ædes Euphemianas properant, & Dei seruum humi iacentem, frustulato palliolo inuolutum reperiunt, & vultu adeo sereno, ac hilari, vt plaudere videretur animo in gaudia sui Domini ingresso. Tum folium, quod manibus stringebat, arripere, nequicquam tentant, quoad elato in aulam cadauere rogauerint Pontifex, ac Imperator demissè, dignetur laxare manum, & scriptum tolli, vt Dei voluntas in eo exarata patescat, & fiat. Paret illico mortuus, qui obedire Deo didicerat viuus, & Antistiti Chartam capienti laxat dexteram. Datur illa Cancellario, vt recitet, & sonora voce in ea contenta pronunciet. Vbi nomina Alexij, parentum, ac sponsæ insonuere, admiratio quædam vehemens, ac stupor adstantium omnium animos occupauit; sed cognatorum tam profundè, horridèque, vt obriguerint, ac hæserint immoti, donec ad venas redeuntibus spiritibus in clamores ora, in flumina resoluerentur lumina, tum ruere sponsa, mater, genitor in amplexus. At satius est silentij egimne inuoluere, quę exprimi nullo
ora-

orationis colore possunt. Interim fama per vrbem totã rei nouitatem vulgante, tantus concursus ad ædes Euphemiani factus est, vt aditus educendo funeri nulla vi fieri posset; tandem vbi datum est per confertam turbã perrumpere ad D. Petri succolantibus Pontificis, ac Imperatoris humeris delatum corpus est, ibiq; stetit in cõspectu populi per integrã hebdomadam aceruatim affluentis ad Diui venerationem, quam miracula in horas succedentia haud mediocriter adauxere. Inde ad D. Bonifacij templum in Auentino Monte translatum est, ibique in honorifico tumulo conditum, vbi per sequentia sæcula ad hoc vsque colitur magno populi concursu, die præsertim anniuersaria Iulij decima septima, qua se Vrbs tota in Auentinum effundit, vt eius exuuias sacras veneretur, & scalarum, sub quibus per annos septemdecim delituit aspectu perfruatur; hac enim gratia è secretiore loco in apertum ad Ianuæ maioris latus translatæ sunt, vt commoditas fieret populo auidè, deuoteque dies octo accurrenti contemplandi veneranda vestigia antiquitatis Alexij paupertatem, humilitatẽ, breuiter prodigia mundi contemptum, ac sanctitatem prędicantia.

Monet me locus iste diuites nobiles interrogare, qui sua patrimonia præ opulentia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui vno filo villarum pretium insuunt, huic peregrino nudo quid vnquam defuit, imò quid non defuit, qui Christi amore omnia abdica-

uit

C

Fiat cor meum immaculatum, vt non confundar. ps.118.

Non dicatis vos habere animos pudicos; si oculos habeatis impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius S. Aug. in regula cler.

S. El-



FERDINANDVS·Lusitaniæ Prp̃s ad mirandus
Meretur Angelorum præsidium castitas Virginalis. S. Amb.

Fernandus Lusitaniæ Princeps.

IOannes primus huius nominis Lusitaniæ Regum,& Philippa Ioannis Licastriæ Ducis filia, ac neptis Eduardi III. Britanni Regis parentes fuere Fernandi, cuius partui insidiari mors cœpit à matris vtero; quippe periculosè ægrotanti succurrendum fœtus immaturi eiectione Medici suadebant, & conniuentibus alijs, vt periclitantem seruarent, renuit ipsa strenuè pharmacum sumere vnde sperabatur salus corporis, ne crearetur animulæ inexpiatæ bapatismo dispendium æternum. Prodijt ergo maturè partus in lucem,& quanquam adeò malè compactus, vt cutis a carnibus abscederet, non secus ac cortices,qui à ramis diuelluntur; tamen diligentia, & arte curatus omnino conualuit, infantiamque; ac pueritiam incolumis adolescentię confecit. Vt interlucere cœperunt in eo rationis crepuscula indoles ad alta nata simul eluxit, & digna, quæ à non vulgaribus Magistris excoleretur; qui idcirco excellentes ei dati sunt vt teneram ætatem litteris, ac religione imbuerent. Profecit in vtrisque, supra quam sperari à genitoribus posset, sed in hac ferme ad miraculum. Dixisses lacte innocentię nutritum, & pane Dei timoris alitum, sic illeq cor, sic linguam, sic oculos in officio continebat. Sed quod in adolescente Aulæ Regiæ alumno singulare prorsus est, orationis, ac pœnitentiæ tam ardens fuit amator, vt sa-

cellum sibi construi curarit, in quo interdiu, & de nocte plures horas in precibus traduceret. Vsu venit aliquando, vt triduum integrum sacræ Domini Nostri anastasi præuium impransus, ac incœnatus exigeret, nisi quà panis frustulo, & frigidæ poculo continendus erat intra artus spiritus ne diffiueret aut langueret nimium. Per reliquos vero anni dies assiduus erat sacris audiendis, & horis canonicis ibi recitari solitis à Sacerdotibus, ac ministris, quos mercede ad eius cultum, curamque conduxerat, & ijs finitis suas ipse peculiares absoluebat preces, ac diu cœlestia meditando hærebat: Totum fermè tempus ieiunium ipsi erat, sed rigidius ac solemnius feria quarta, sexta, & sabbatho, hebdomadarum per annum cunctarum, Quadragesimę, ac Aduentus, temporibus fræna laxabat alijs etiam corporis afflictationibus ob Christi Passionis memoriam, ac honorem, tametsi sēsus haberet rationi subditos, quæ diuinis illustrata radijs, ne rebellare inciperent, Spiritui mancipauit, & in castimoniæ iura redactos à iaculis adolescentię præcordia petentibus immunes tutata est. Et erat quidem præcipuus hic orationis fructus & iugis animi, corporisque mortificatio. Sed parum videbatur generoso Iuueni effecisse, nisi insuper aliquid moliretur, in quo suum erga Deum, & proximum amorem insigniter declararet. Nimirum ad forte certamen animum clientis sui gratia cœlestis armabat, & patiendi desiderio prœmuniebat, vt Regalisa-

mi-

miliæ heroibus bello, & pace claris affluenti, hoc decus adderet, quod ipsa sola potest conferre; & quidem geminatum iis, qui carnem suam nusquam inquinatam crucifixere, & tormentis à tyranno vexatam Deo viuenti morte gloriosa victimam immolauere. Dum enim patre primum, tum maiore natu fratre Regni administratione occupatis, priuatim ipse Christianæ exercitationis officijs distinetur, largis eleemosynis egenorum necessitatibus subuenit, religiosas etiam domos sua liberalitate sustentat, famam sancti Principis vel nolens colligit, quæ Romam vsque peruadens, Eugenium Pontificem maximum perpulit, vt Cardinalitiam dignitatem offerret, & ne reijceret, suaderet; sed ex vero sensu pietatis ea se indignum reputans, vt acceptaret adduci se non est passus: vice versa vbi Eduardus frater natu maior & in Regno functo patri successor, Mauritanicam expeditionem aduersus Maometanos adornat, & illi Henricum fratrem præficit, Ferdinandum ipsi comitem designat, licèt detrectare posset prouinciam sibi grauem, inabilem, & periculorum plenam; ne tamen vel refragari voluntati Regnantis, vel honestissimum fidei Catholicæ propugnadi consilium reprobare videretur, morem gessit, hoc etiam nomine libenter, quòd dura & aspera passurum se pro Christi amore à barbaris non nesciret; ac proinde etiam extrema, mortemq; ipsam tacito quodam sensu præsagiret. Soluit igitur cum exercitu in ipso Assumptæ Virgi-
 nis

nis peruigilio anni salutaris 1457. Erecto vexillo, in quo imago S. Michaelis Archangeli Ecclesiæ tutelaris, eminebat, & post egregiæ patientiæ signa in morbo sub ipsa itineris initia inuadente exhibita, recuperata valetudine Tyngym appulit munitissimam arcem, & fœliciter cum hoste conflixit, partim cæsis, partim fugatis Maurorum cohotribus; qui nihilominus victoria Lusitanorum asperati, & prope in rabiem acti copias collegere adeò numerosas, vt cedere omnino viribus longè superioribus sint coacti Lusitani, & iniquas admittere conditiones, quas Victor insolens proposuit, illá potissimùm, vt Septa restitueretur; & interim dum negotium in Lusitania agebatur Fernandus cum aliquot nobilibus daretur obses, quoad responsum expectabatur, & Eduardi consensus de arce reddenda. Sed præter magnam locorum distantiā, & itinerum difficultatem, moram deliberationi faciebat rei, de qua agebatur grauitas; nam & Septa ipsa per se arx est arte, ac naturā munita, & eo loco in faucibus freti Gaditani posita, vt ad impetus frangendos Barbarorum Lusitaniæ fines subinde infestantium sit forte propugnaculum, & ad eos inuadendos instructissimum armamentarium à Ioan. 1. aliquot ante annos armorum vi ab eorum iniqua possessione detractum. Ideo vltra sexennium tenuis restitutionis tractatio non vrgente admodum Ferdinando liberationis suæ caussam, quam publico Regni bono posthabebat, & pretio potius, captiuorum-

que Maurorum condonatione, quàm Septæ deditione redimi curabat. Interim quàm acerba, quamque immanis fuerit illa captiuitas, vix credant, quibus innata genti crudelitas, & odium in Christianos non sint cóperta; Atque vt leuiora taceam, quæ à Salacambala Rege primis septem mensibus passus est, incommoda, & contumelias. Fessam transmissus, vbi rerum potiebatur Lazurequius ex vili rustico tyrannus ferreus, in ergastulum detruditur ęgrè capiendis octo personis idoneum, cum alijs 11: exuitur vestimentis, & illorum vicem penula villosa, rudi, centonibus consarcinata obuoluitur, pro culcitra duę pelles arietinę expilatæ substernuntur, puluillum fæni manipulum supponunt, lectum reliquum humus suppeditat: prandium, & cœnam duo atri panes, quales dantur canibus, & frigida vix illimis subministratur, Ac ne inde pedem efferat etiam cum natura, & pudor exitum postulant, vinculis constringitur, neque nisi certis in die horis eximitur, & hortum colere, & stabula purgare Regis filius imperiosè cogitur; quę tamen omnia summa cum animi ęquitate ferens, socios haud mitius ipso habitos ad patiētiam, Christi, & Martyrum exemplo hortatur. Sed non hic positus feritati finis: adduntur ferreæ pedicæ, in antrum adhuc tętrius conijcitur, quo neque lucis radius, neque sociorum vllus penetraret, nisi fortè inuisente ipsum ægrotantem medico, & Sacerdote Lusitano, cui singulis hebdomadis con-

scientiam exomologesi sacra aperiebat, hoc enim extremum solatium in ægritudine statim contracta, ne denegaret gens hircanis tygribus immanior, non humanitas effecit, sed cupido lucri, & restitutionis Septæ, cuius spes simul cum vita Principis interibat. Delituit in horrido gurgustio mensibus quindenis, non tam cum squalore, solitudine, inhumanitate custodum; quàm cum morbo conflictans; quibus tamen malis animo superior, prolrxa oratione, humilitate, tolerantia ad mortem, cui toto tempore captiuitatis se comparauerat, prçludebat. Præmisit hæc tandem suos Nuncios stomachi languorem, & virium debilitatem vix spiritui continendo parem; sed misit pariter vitæ auctor suos, qui solarentur, & de carcere duplici liberarent, quippe Nonis Iunij cum ante Auroram, citiùs quam soleret, visitaretur à Medico, & à Sacerdote periculi impendentis haud ignaris, inuentus est vultu radios vibrante pene abstractus à sensibus: illo abscedente: huic de more confessus non reticuit, quod resciri ab ipso, vtpotè conscientiæ arbitro, & Dei gerente vicem decebat. Venisse nimirum ad se meditationi cœlestis beatitudinis impensè intentum, duabus circiter horis ante Auroram vigilànti potius, quàm dormienti, gloriosam Cœli Reginam in solio radiante sedentem vnà cum B. Michaeli Archangelo dextera vexillum crucis signo distinctum erigente, sinistra lances, vti populariter depingitur, librante, & ipsam


de-

deprecante Virginem, vt quantocius æger ad Cœli palatia à tenebricoso carcere transferretur, visum præterea cum ipsis S. Ioanně Euangelistm vna manu calicem, altera codicem præferentem, in cuius externa facie scriptum enitebat: In principio erat verbum, & ipsum pariter orasse Beatissimam Virginem, vt se ad cænam nuptiarum Agni vocaret, ac postulatis annuisse benignissimam Matrem. Haud fuisse inane somnium probauit exitus, nam paulo post inter preces eiusdem Sacerdotis purissimam animam de corpore lõgo martyrio excruciato, emisit ad eorum legiones, qui regnant cum Agno. Vt de obitu tyrannus inaudijt exclamasse dicitur, si quid boni in fæce Christianitatis inueniatur; hoc totum in Ferdinando fuisse, numquam ex eius ore excidisse mendacium adnotasse; nunquam non repertum flexis genibus orantem ab exploratoribus identidem à se submissis ad carceres; quibus attinebatur; insignem castimoniam ore, verbis, moribus prætulisse. hęc nimirum vis virtutis est, vt etiam ab hostili lingua laudes extorqueat. Et nihilominus sæuire in mortuum perfidus minimè destitit. Euiscerari cadauer mandat, & ad nobilem Ciuitatis portam obuerso in terram capite appendi, tripudia, & choreas à proceribus ad ludibrium, & contemptum in subiecta area dari iubet per dies quinos. Inde repositum à suis in ligneo capulo duabus perticis substentato ibidem suspensum manere: & intestina, quidem à corpore auulsa à Lusitanis tumulata,

ta, & quantum per exilium apud barbaros licuit, thurificatione, luminibus, precibus honestata, donec in Patriam anno 1451. trãslata sunt industria Ioannis Aluari, & Ioannis Roderici captiuitatis socijs, & in hæreditario sepulchro Bataliæ condita; Corpus verò propter eamdem Ciuitatis portam appensum in capulo mansit, & clarere miraculis cæpit; nam & à custodibus ipsis Mahometanis radijs vndique collustrari sæpius visum est, & sanitas eò accurrentibus, vel opem implorantibus restituta, donec insperato venit in mentem tyranni nepoti, in patrui, cui erat offensus despectum, exuuias sacras clanculario furto surripere, & Lusitanis extradere in Patriam transferendas; & fauit molitioni Deus, ac elementa ipsa, tum maximè cũ obluctari videbantur fauorabilia se præstitere: Etenim excitati turbines, & tempestates, quæ remoram facere nauigationi poterant, ne nauis depositum illud sacrum vehens portu exiret, profuere, & incuriosis custodibus capulus à Lusitanis clam ablatus ad mare hora inobseruabili deferretur, & nauigio impositus vndis diuino nutui obsequentibus commissus, ad oras, & vrbes Regni Lusitani, & tandem Vlysipponem tutò appelleret, vbi Alphonsus Regis Eduardi filius antea præmonitus instructa ex nobilitate Ecclesiastica magnificè põpa restitutis natiuo solo ossibus iuit obuiam, excepitq; non modò vt sanguinis principem, hoc est primis orbis Heroibus æquandum; sed vt Ciuem Sanctorum, quem singularis vitæ

vitæ probitas, insignis, & diuturna patientia, castimonia absque labe ad obitum vsque adamata, cultaque, miracula haud pauca cœlitibus æquatum comprobarant. Processit supplicatio moderante Archiepiscopo infulato ad templum vsque maximum; in eo solemni ceremonia repositus thesaurus aliquandiu quieuit, donec Bataliam translatus est, & in Regio Mausoleo collocatus, relicto in parte superna conditorij foramine, vnde immissæ arundines ad sacras pertingant reliquias, fauente populi deuotioni numine, & attactu, eductis cannis sanitates concedente.

Plura habent monumenta Regum Lusitaniæ è quibus deprompsit Antonius Vasconcellus, & alij.



Fiat



His plagatus est in domo eorum qui dilig

B

Declina à malo, & fac bonum p. 36.

Fide anima declinat à malo, & facit bonum; cuncta transitoria respuit; inuisibilia, sicut visibilia appetit, dilectione quæque dura tolerat; carnis impetus refrænat: necessaria proximis erogat; summo bono semper anhelat, S.Aug.l.de cognit.Veræ vitæ c.37.19.vel quiuis auctor eius libri.

S. Elzearius.

SI excessit ex humanis anno salutis 1325. vt Baronius in Martyr. 27. Septembris asserit; idque anno 28. suæ ætatis, vt communis fert opinio; consequens est annum 1297. primum illius vitæ fuisse; sed quota die, mense ue, haud est exploratum. Illud certum, Ausoisium Galliæ Narbonensis natale solum celebritatem ab eius ortu adeptum, parentes verò Hermongarium à Sabrano, & Laudanam, Albanam, seu ab Alba antiqua nobilitate claros coniuges, nouo germine sanctitatis, priscum generis splendorem insigniter adauxisse. Radix sancta, & ramus Sanctus, Laudana namq; cum testimonium populare, & commune egregiæ probitatis habuit, tum verò domesticum, & graue, quod eò pluris faciendum, quò experimentis quotidianis, ac euidentibus certius. Elzearius Laudanæ socer, & nurus Cecilia adeò eius probauere virtutem, & morum suauitatem amauere, vt proprium nomen in Bonæ Comitissę agnomen commutarint. Plus aliquid addere libuit Fratri Ioanni à S. Iuliano ordinis S. Francisci Sacerdoti, & conscientiæ illius arbitro, qui donorum cœlestium quibus affatim animum Laudanæ Deus ditauerat haud ignarus, diserte pronunciabat ad alta, & magnifica destinatam matrem, & gestatum in vtero filium prodigia ferre secum sanctitatis admirationi olim orbi terrarum futura. Augebat fidem

Surius to. 5 die 27. Sept.

fidem Garsendæ Alphani, matronæ pietatis non vulgaris sensus: cum enim ipsi, ac Laudanę familiaritas intima, & arcanorum cordis communicatio intercederet, magna de puero nascituro præsagiebat animo, & præsensionem verbis aperire gaudebat.

Erat autem Garsenda Ausisij primæ nobilitatis fœmina, quæ cum marito suo militiæ laude claro votum continentiæ emiserat, & Domino in ieiunijs, & oratione seruiebat, pluribus ab ipso donis ditata, nec prophetiæ, & reuelationum lumine carens.

Vt enixa est natum puerpera, acceptum in vlnas creatori offert hoc vnum apprecans ne vnquam lethali labe inquinari permittat, optare se infanti potius acerbum funus, quam vitam longiorem fœdatam crimine. Ad vndas lustrales impositum nomen Eleazari, gentile familię, licet alij Eleazarium, alij Elzearium nominent. Vt albescere cœpit ipsi rationis lumen simul cœpit cœlestia sapere, & radios fundere gratiæ animulam suam delectabiliter inhabitantis. Si quando puellus adhuc triennis, foras à nutrice, vel gerulo portaretur, & in mendicum aliquem incurreret, indonatum transire non sustinebat: & ni daretur eleemosyna, lacrymis extorquebat, quod si nihil esset ad manum quod erogaretur, redeundum erat domum famulantium cuipiam, & inde ferenda pecunia, vel edulium aliquod pauperi ministrandum. Lustro nondum expleto quicquid dono acquirere contigerat totum in egenos effundere, blandi

illos solari, & mire lætari si conuiuas interdum habere per educatores liceret. Curam eius alendi sponte susceperat D. Vvilelmus de Sabrano Massiliensis Abbas eius patruus; in qua exercenda haud facile iudices maiorem ne voluptatem ex pueri docilitate, modestia, obedientia caperet; an admirationem ex insolitis quibusdam diuinæ beneuolentiæ indicijs in puero erudiendo, ac ad pietatem formando. Grammaticæ præceptis imbuendus nauo Magistro traditus specimen ingenij dedit maioribus disciplinis capessendis idonei; at nunquam promptius illud exerebat, quàm cum ex sacris litteris discendum quid proponebatur. Non minor erat in Dei amore progressus: accenderat sacra flamma tam vehementer eius pectus vt vix decennis æstuaret desiderio peragrandi infidelium regiones, fidem Euangelij prædicandi, sanguinem in eius confessione fundendi, idque vni familiarium suorum professione monacho, probitate eximio, fateri confidenter non erubuit.

Sed ò quàm disparem ijs votis inire vitam Maiorum coegit obseruantia, ac debitus honor, vel numinis potius cuncta regentis nutus, prodigia coniugiorum subinde renouantis? Carolus secundus Siciliæ, ac Hierusalem Rex missis ad Eleazari parentes nuncijs, qui de nuptijs cum Delphina nobilissima Virgine agerent facile assensum ipsorum obtinuit; Indicta die Massiliæ celebrata sponsalia sunt matrimonio in tempus pubertatis sponsi tum decennis, ac sponsæ duo dennis, dilato. Eo

appetente peracta ceremonia est ex ritu Ecclesiastico ipsa S. Agathæ V. M. die festa in castro Poderij Michaelis vulgo dicto. Quarta post die Ausoisium concessere, vbi excepti magno cum gaudio, & pompa sunt, voluente interim in animo maiora tota illa humanitate ac hilarijs Elzeario. His vbi finis positus, & in sua conclauia recepere se sponsi, Delphina desideriũ seruandæ virginitatis aperuit, & noctem in oratione exigendi placitũ non modo impetrauit, sed etiam ad imitandũ induxit. Noctibus insequentibus fructum precum antecedentium experiri datum est, cum iam sponte odore Virginitatis illectum, ad propositum tuendæ eius induxit, non diù post ad votum, inducendum. Vtebantur ergo thoro non iam geniali, sed virginali; & quod mirere non solum procul omni libidinis sensu, sed intimo diuini amoris affectu amborum pectora æstuabant. Hinc exortum omnium sensus illecebrarum odium, & carnis mortificationis studium supra quam ætas, & status conditio pateretur. Tempus tum fluebat solemni Quadragesimæ dicatum ieiunio; rigidè illud obseruauit adolescens tener, ac delicatus, insuper alias addidit corporis afflictationes, flagellorum in primis ad sanguinis vsque effusionem: vnde pallor, ac macies in vultu, quæ contegi ægre poterant Comitem habuit Pœnitentia contemplationem, ac orationis donum tanquam rorem matutinum suauiter animam irrigantem, qui paulò post excreuit in imbrem vehementem om-

omnes eius vires absorbentem. Cum enim in locum à saltu dictum accitus vt patrui Abbatis primitias sacerdotij Dèo offerentis, & nobilis equitis inaugurationi interesset, in die Assumptæ peragendæ, noctem præuiam festiuitati in precibus traduxit, & mane ad sacram synaxim accessit eo fructu, quem nec verbis à se explicari posse nisi balbutiendo, ingenue Confessario fassus est. Peracta cæremonia solemniter in templo, assidere mensæ cum reliquis conuiuantibus renuit; sed ministrare illis institit ciuilitatis quidem specie; sed re vera, quod Deo plenus, & cœlestibus pastus delicijs, nec aspicere dapes opiparas posset sine stomacho, & nausea. Ne tamen insolentia, ac secessus in cubiculum admirationem pareret, secundæ mensæ accumbit, & esse simulat; verum flamma diuini amoris præcordia depascente, calor ingens per venas fusus corpus inuadit, & vultum tam vehementi ardore occupat, vt febris suspicionem adstantibus ingeneret. Accurrit illico famulatus domesticus & anxie ad lectum deducit, & velut indigum quietis, ac somni auidum solum relinquit. Hic remotis arbitris de strato se eijcit; & procumbens in pauimento relaxat habenas lacrymis, ac suauissimo sensu colliquescens diuinitate absorbetur. In qua lucis affluentia ostensa ipsi sunt ineffabilia, inter quę illa profunde impressa cordi inhæsere, amor, ac æstimatio æternorum, odium, & contemptus terrenorum, illi persimilis de quo Apostolus omnia arbitratus vt stercora,

vt Christum lucrifaciam. Hinc desiderium solitudinis tam vehemens, vt animus iam paratus ad vrbium fugam sepositas syluas, ac spelæa meditaretur ni voce desuper ad cordis aures lapsa discessionem vetabat, & timenti conuersationis humanæ pericula respondebat, sufficit tibi gratia mea; cui refragari piaculũ duxit verus humilis, & solitudinis vices cõpensare quoquo modo cupidus propositum Virginitatis antea sumptum voti emissione firmauit.

Neque minus insignis, aut frugifera fuit visitatio altera diuinissimi spiritus suum alumnum ad altiora in dies prouehentis. Sub annum suæ ætatis 17. inuiserat officij gratia, ac salutationis suos agnatos Aquis commorantes: Ibi intempesta nocte cum aula tota quieti, sosporique indulgeret ipse vigilans è patenti palatij regij fenestra oculos ad micantes stellas erexit, & extra se raptus videre sibi visus est profundæ voraginis imaginem scelerum fœdorum receptaculum, in quam demergendus erat ipse; ni benigna Domini manus ruituro subuenisset Cuius beneficij magnitudinem postmodum attentius perpendẽs, hoc vehemẽtius angebatur, quòd impar referẽdis gratijs ingratũ se victurũ rebatur: Cumque acrius vrgeret dolor, insonantem rursus audiuit vocem interius, & obiurgãtem quòd se mærore conficeret, & confidere in misericordia diuina iubentem; quæ nunquam permissura erat vt excideret à gratia sua. Quòd responsum ingens amoris excepit impetus, &

languor animi, vt olim sponsa in cantus cuius anima liquefacta est, vt dilectus locutus est. Et ecce ostentum aliud. Educitur in apertam planitiem, cuius medium magnifici tẽpli structura decorabat. Inibi populi multitudo mystemi mox ad aram accessurum sacrificij gratia, opperiebatur, quo adueniente, & sacrum inchoante personabat melodia cantantis chori. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi &c. in cuius sacri de Passione decursu flammam sensit illabi desuper cupiditate patiendi pro Christo adeo potenter animum accedentem, vt deinceps in tota vita configi ipsi concupierit, & profundere eius amore sanguinem fœlicitatẽ duxerit: quæ causa fuit vt iniurias, si quæ inferrentur æquissimè ferret; etiam à subditis, quibus nihilominus, vultu, verbis, beneficijs humanissimum se prębebat. Quæ heroicam plane æquitatem, ac patientiam admirata Delphina iocari semel voluit vt occasionem daret arcana cordis reuelandi. Quid tu (inquit) hominis es Elzeari stipes, aut caudex videris, qui lacessitus non rarò iniurijs insensilis es, aut esse fingis? tolerantia isthæc tua somentum est audaciæ alienæ, in insolentiam intolerabilem propediem migraturæ, ni coerceatur. Ad quæ placidissime vir patientissimus. Et quid Delphina irasci prodest, & quantum vlcisci nocet? Relinqnantur hæc mundi discipulis at Christi sectatoribus sint procul. Non ego quidem marmor sum, vt ictus iniuriarum non sentiam, neq; tam he- Cant. 3.

bes, vt non intelligam, quàm irreuerenter agant qui me lędunt præsertim si mei sint sub diti; sed cogitationem ad Christi passionem, reuoluo,& mihi occino, quamuis tui famuli te conspuant, ac cædant, aut barbam euellant quotus tamen hic despectus est eius cõparatione ad quem benignissimus Christus se demisit: Neq; prius ab hac consideratione mentem auoco, quam omnis motus resederit, & in desideriũ patiendi, ac benefacta pro maleficijs reddendi commigret. Iam vero vt ad extasim illam Aquelem redeam.

Peregerat nox cursũ suũ,& iã sol terras illuminabat, neq; tamen excessus iste mentis absoluerat suum:Perstabat ad fenestram immotus Elzearius, cum transiens per aulam medicus propius ad ipsum accedens salutatione iterata compellat, ast surdum alloquitur donec tertio ad altiorem salutantis vocem euigilans fricare occœpit oculos nocturno rore madidos & prolixa in cœlum afflixione defatigatos, & quia ab illis lacrymæ adhuc fluentes per genas & vestes largi fletus indices erant, quo magis dissimulare satagebat factum, eo magis inducebatur in suspicionem medicus cælatæ veritatis ac insoliti casus, & causæ fletus.

Vsu venit aliquando vt capitis ablutionem meditanti, Delphina cui soli hęc permittebatur, paratis lixiuio, smigmate linteaminibus, manum iam iam admoueret, cum repente exclamat, ah Delphina cito, citò quæso te. Aduertit prudens fœmina, non ignara via-

rum

rum Domini cum suo sponso, visitari illum illapsu cœlesti, & quoquo modo absterssum dimisit spiritui cum eò deliciari, & delicijs saturare volenti. Secessit rectà in cubiculum, quod illi in cellam vinariam versum est, vbi experimento didicit quanti sit inuitamentum sponsi: bibite, & inebriamini carissimi, tota nanque nocte perpluit illi liquor de fontibus saluatoris, & lux in tenebris illuminauit animum & secreta cœlestiora patefecit, quæ patefacere ipse nulli mortalium præterquam suæ Delphinæ voluit: ipsam in oratione positam ad se vocauit appetente Aurora, & indicauit potius quam explicauit mirifica quæ viderat, ac senserat, & indicasse sat fuit conijcienti talia ex claritate vultus irradiante, & candelæ quàm manu gestabat lumen superante.

Eiusdem generis est quæ subijcitur visio. Sub annum duodeuigesimum attinebatur Ausoisij vna cum Delphina: Hanc die quadam Sabbathi orantem in cubiculo inuenit vergēte iam in occasum Sole, & adiungit se illi socium, & vterque ad diem vsque dominicam in oratione perseuerant. Obiecit se orantis menti non tanquam in ænigmate sed in clara specie solum visioni beatæ impari Trinitas sanctissima. Et modum agnouit generationis Filij à Patre, & processionis Spiritus sancti ab vtroque;creationis insuper mundi; finis eius, & amor erga genus humanum, cuius gratia hæc condita fuere, & gubernantur: misericordia ac bonitas in Incarnatione ad lapsum

primi parentis reparandum excellentia, ac Sanctimonia Virginis Deiparæ; quæ talia dum intueretur, amoris flamma glifcebat in pectore, & adeo potenter cor vrebat, vt præ languore corpus femimortuo affine videretur mens Angelicæ fimilis arderet amore Chrifti, ac in pofterum folus illi faperet Chriftus, & quæ funt Chrifti: Inter quæ primo loco numeranda Virgo parens, tam impensè culta, tam amanter habita, vt prouerbio diceretur in delicijs Elzearium effe Virgini, & hanc illi in amoribus. Quid plura? Garfendæ obnixè pro Elzeario preces offerenti in Ecclefia refpondit Chriftus D. Huic adolefcenti matrem meam dedi magiftram, cumque anxia de refponfo vereretur an illufio effet Angeli deceptoris, fequenti mane fub ipfam facrificij horam eadem quæ nocte audiuerat verba clara voce iterari fenfit, neque vltra de veritate dubitauit; prudentiæ tamen duxit Fratri Ioanni à Iuliano Confeffario rem totam aperire, qui & ipfe nullam fubeffe mali Dæmonis fraudem pronunciauit, vt certior factus eft ab Elzeario de modo quo Beatiffimam Cæli Reginam colebat, & feruitute quam exhibebat.

Hæc dona gratiæ fanctificantis familiaria, & abfcondita oculis mortaliū, illuftriora reddita funt à fplēdoribus gratia gratis datæ quorū libet pauca ex pluribus referre. Exiuerat aliquando in fyluas fimulatione venationis, & comitatu præire iuffo, vnum duntaxat famulum chirurgię peritum fecum retinuit, quo

cum Nosocomium Leprosorum secus viam ingreditur. Eorum sex iacebant ita morbo deformati, ac absumpti, vt monstra horrida repræsentarent. Labra exesa, dentes patuli, cariosi, putidi; nares truncatæ, & olida scaturigine fœtidæ, frontis, ac genæ lichenis obductæ; membra reliqua squammis purulentis scabiosa; vt oculos in hęc spectacula coniecit pius iuuenis, miseratione tactus accedit ad illa proxime, verbis humanissimis solatur, singulis amantissima figit oscula. Mirum dictu, sed toti nosocomio notum, ægris omnibus integra sanitas momento reddita; fragrantissimo odore domicilium respersum, atq; vt foras etiam miraculi spargeretur fama, larga eleemosyna sanatis impertita abeuntem, micans radius e capite sanantis prodiens adstantibus aspectabilis, comitatus est per totum vię tractum, quoad comites assecutus est, & ab ipsis etiam videri desijt. Et ipse, quidem edixit omnibus seuerè ne se superstite miraculum euulgarent, cæterum à lepra mundatis ad penates proprios redeuntibus quis occluderet ora, ne sospitatorem suum plenis buccis Elzearium proclamarent?

Quam luculentum quod sequitur? In ora castri Podij Michaelis supra memorati sterilis frugum annus annonæ caritatem intulerat, quæ famem, & morbos minabatur. Accurrunt ad herum turmatim indigenæ, & subsidium impēdenti calamitati implorant. Ille sepostita frumenti parte ad familiæ sustentationem necessaria, quod supererat rogantibus

mu-

mutuatur quidem, contractus specie ad tempus, ast eo adueniente donat ex liberalitate, contentus fœnore à Domino promisso ijs qui miserētur pauperis. Post menses aliquot absumptis primis dimensis necessitate compulsi ad eundem rursus recurrunt, & opem precibus infimis cōtendunt ad mortem arcendam. Iubet hic horreum recludi & de reseruato domesticis tritico miserorum egestati subueniri.
Prou.19. Sed cum alij super alios in dies accederent breui granarium exhaustum est; nec erat nescius defectionis Elzearius, nec miserationis oblitus. Ideo adueniente ad commune perfugium egētium altero mandat, & huic nouissimo dari sicut & prioribus: nuncianti ancillæ clauium custodi ne granulum quidem superesse, præcipit diligentius exploret, ne forte fallatur; paret illa vt pareat, certa præteritæ erogationis, & inopiæ pręsentis. Horreum ingressa aceruum inuenit grani non minorem eo qui pro domus alimonia reseruatus fuerat. Obstupet, miraculum Domino renunciat, non se præ lætitia capit. Ille silentium indicit, & Sacramento adigit, ne ante suum obitum de eo loquatur. Sed frustra premi silentio vult quod tecta, quod parietes euulgant. Resciuit itaque tota familia quod euenerat, & quem verebatur vt suum dominum, reuereri cœpit vt seruum summo cælorum Imperatori in paucis carum. Auxit venerationem reddita nobili puellæ sanitas. Nomen huic Constantia filia Ioannis Albæ annorum non plus septem: febricula lente-
ten-

tentabatur, quæ postea se intendens decimam quartam diem vltimam vitæ faciebat ni manus medici melioris fatalem ictum auertebat. Arelatem sub id tempus forte venerat Elzearius vbi ægrotanti iam parabatur funus: Inuisit inter postremos anhelitus luctantem, capiti manum imponit, & in te, inquit, puellula Domini voluntas fiat: Tum cubiculo egressus matrem inconsolabiliter plorantem bono iubet esse animo, & filiolæ bene esse affirmat. Illa exiliens gaudio ad ægram currit, & incolumen reperit, ac vbi narrauit modum quo persanata fuit, esurire se oppido ait; afferuntur cibi; comedit delectabiliter, surgit e lecto perque domum, perque vrbem cursitat non absque ciuium admiratione haud ignorantium conclamatam à medicis salutem eius. Verum non huic solum puellæ, sed multis alijs ægrotis sanitatem tulit visitatio, & contactus eius, qui frequens erat præsertim pauperum, quos inuisere, verbis, & eleemosynis iuuare, signo crucis communire habebat in more, & oblectatione.

Eius quoq; precibus datũ, quòd nauis cum copioso vectorum numero imminens naufragium euaserit. Redibant ipse ac Delphina Neapoli in Prouinciam, & prospere marinos fluctus sulcante nauigio, turbine improuiso mare exasperatur, eoque tẽpestas prouexerat vt rupto malo, veloque dissecto submersio propinqua, & ineuitabilis cunctos horrore concuteret; clamore, & planctu aera repleret. Solus Elzearius iacta in Deum spei ancho-

chora intrepidus manet, cæteros erigit, & ad ſperandum in Deo, vehementer hortatur. Ipſe præit exemplo, & humili ſupplicatione pro ſociorum incolumitate deprecatur: Auditæ preces, & reſidentibus ventis tranquillitas mari, ſerenitas aeri, trementibus pectoribus quies reſtituta.

At verò quanto præſtat anima corpori, & Spiritus carni; tanto æſtimabilior illius ſalus, iſtius ſanitate. Alias redeuntibus in Galliam Narbonenſem fœlicibus ſponſis occurrere nobilium turmæ, & affinium perplures. Ex his vnus Roſtagnus à Sabrano nomine eques auratus dum ruit in amplexus, & oſcula ſuauiſſima, irruere ſentit in pectus ſpiritum vehementem contritionis, ac pœnitudinis ſcelerum ſuorum tanto cum impetu ſuauitati mixto, vt nec conquieſcere, nec cibum capere prius potuerit,quã ad ſaerdotis pedes abiectus peccatorum ſarcinam multis cum lacrymis depoſuerit. Et erat vir prouectæ ætatis, ſæculo mancipatus, adeo ſuæ ſalutis oblitus, vt biennium totum ſacramentis inexpiatus viueret mortuus gratiæ, de qua ne tum quidem cogitabat, ni contactus ille virginei corporis letargum excuſſiſſet. Quo in genere mirabile eſt quod Alaſia Delphinę ſoror expertam ſe eſſe affirmabat. Erat hæc ſanctimonialis, ſed pro more temporis illius extra monaſterium in palatio germanæ degere interdum permittebatur, in quo plus incitamenti ad ſeruiendum Deo ſentire ſe fatebatur, quam inter ſorores moniales. Permiſſa eſt aliquando Sata-

næ

næ colaphis æstum vehementem libidinis in frigidis ieiunio membris excientis,neque precibus, nec afflictationibus & lacrymis extinguebatur. Venit illi in mentem flexis genibus lectum in quo Virginei sponsi quiescebāt circumiere quod dum prȩstat, tota illa flamma deferuet, nec deinceps in reliqua vita scintilla vlla reuixit in membris iam rationi obsequentibus. Vt verò Ausoisium peruentum est Garsendam de qua superius meminimus lecto decumbentem reperere, cui cum causam sui aduentus aperuissent nimirū vt votum Virginitatis ea præsente nuncuparent; incredibilem cepit animo voluptatem, dixitque se ardenter optasse, & à Deo postulasse vitā donec faustā hanc immolationé par innoxiarum turturum Domino obtulisset, & responsum accepisse non visuram se mortem nisi videret fœlices coniuges hoc vinculo se sponte obstrinxisse. Cum verò aliquanto tēpore expectassent, si conualesceret ægra, vt interesset sacro in quo erant vota emissuri, tandem hoc iniere consilium ad moras abrumpendas, vt in die Sanctæ Mariæ Magdalenæ festo illud fieret à F.Ioa nne Confessario in domestico sacello Diuæ Catherinæ V. M. dicato, in quo olim Gersendæ obiecta fuerat species Lapidis radiantissimi cuius fulgorem non toletabant oculi, & significatum à Domino denotari per illum Elzearij Virginitatem radijs orbem terrarum completuram ibidem igitur fælices sponsi secundum sacrā synaxim ad conclaue Garsendæ ȩgrotantis,

ad

ad conclaue Garsendæ ægrotantis pergerent, ac ea audiente vota Virginitatis certa verborum concepta formula pronunciarent. Comitabantur binos candidatos Agni immaculati sectatores Alassia Delphinæ soror, & Iuordus eques Garsendæ filius. Qui vouentes æmulatus, & ipse continentiam suam Creatori obtulit obligatam voto.

Præter istos & excipientem F. Ioannem, Dei nomine, à nullo mortalium rescitum, quod secreto agebatur, & vt alto silentio premeretur Elzearius maximopere satagebat. Descendit de cœlo amoris flamma super sacrificium istud, & inflãmauit ad laudes, & gratiarum actiones agẽdas castorũ, consiliorũ seminatori Christo, Regi Virginum, similes ijs quas beatæ mentes eidem reddunt. Garsenda sanè plena gaudio in voces olorinas erupit. Hunc dimittis ancillam tuam in pace Domine, quia audierunt aures meæ quod diu desiderauit cor meum. Hæc multo post ingrauescente morbo reddidit animam creatori plenam meritis, statim gloriæ splendoribus replendam, vt indicio haud obscuro declaratum est. Nanque paulo post obitum inter manus, & lacrymas sponsorum inclytorum ipsi adstantium, visendam se præbuit in radiãti habitu alteri per quietem, vigilanti alteri, & de sua beatitudine vtrumque monuit, quod fusius in vita B. Delphinæ denarratur.

Cæterum fructus sacrificij, & holocausti per vota consummati fuit immensus, sed qui plane percipi nisi à percipientibus valet. Exponi

poni vtcumque verbis S.Niss. potest Hom.15 in Cant. vbi commemoratis omnibus penè animi affectionibus, sed his (subdit) omnibus abrasis solus mihi superest qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus sanctorum &c. quibus indicatur illa intima adhæsio Animæ Deo de qua Apostolus. Qui adhæret Domino vnus spiritus est quæ trãsformatio quędam est in deitatem, & depuratio spiritus nõ modo ab inquinamento peccati, sed & ab omni affectione quæ non est secundum Deum. Hanc significauit aliquando per litteras Delphinæ quærenti ecqui haberet, & desiderium ipsum videndi exponenti. Bene, respondit, per Dei gratiam mihi est. In vulnere laterali Christi habito, si me videre cupis, ibi me quære, alibi non inuentura: hic vbera, hic oscula caritatis, hic pocula, hic habitatio fœlix; à qua videlicet ne quiescens quidem abibat, nam etiam tum somnus crebris suspirijs, & lacrymis miscebatur, ob continuatam cogitationem Passionis, & vulnerum Christi Domini. Immo & inter externa negotia bellorum, & pacis non distrahebatur mens à rerum diuinarum meditatione, vt multis experimentis compertum fuit, quę prosequi longũ nimis esset, & minime instituto nostro conducibile. Etenim & hæreditati paternæ succedens, & populos sibi commissos regens & itinera à Gallia in Italiam, ac vice versa repetens, & belligerare à Rege Roberto Neapolita-

1. Cor. 6.

lita-

litano iussus pro status Ecclesiastici defensione, semper Cristum in corde suo circumtulit, quia Christus in suo latere domicilium vbique cōcesserat; Et siue pareret Regibus in negotiorum expeditione maximorum, siue imperaret subditis in boni communis procuratione, Obedientiæ, Iustitiæ, Patientiæ documenta dabat, qualia à tali solum habitatore expectari poterant.

Hęc prætermitti Virginitas, non patitur quæ in eius obitu contigere. Primo quidem vt in morbum incidit haud dubia pręsensione nouit esse vltimum, atque vt domino venienti lætus occurreret exomologesi generali corām Patre Francisco Mayronis insignis inter Theologos notę omnes vitæ noxas recognouit, cum tanta doloris, & fletus amaritudine, quanta in scelesto etiā peccatore desiderari vix poterat. Tum cælesti pane refectus est, & sæpius hæc sacramenta repetere gestiebat facta præsertim facultate sacerdoti in cubiculo celebrandi, vbi iacebat infirmus, quæ facultas causa erat vt Christo Domino arctissime se coniungeret, quo nihil ipsi in vita suauius, nihil in morte optalibus contingere poterat. Deinde quod ad illam vsque horam cautissime cælatum voluerat, tunc diuino instinctu reuelare opportunam duxit. Et adstantibus affinibus, ac amicis dixit, saluatus est homo malus per mulierem bonam quam sicut accepi virginem, ita Virginem, ac illibatam post me relinquo. Dolores incredibili patientia tolerabat, ac leniba͡t assiduè psal-

mo-

modia, ingeminans illud dauidicum Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius. Psal. 40. Viatico munitus, dum sacro oleo inungitur verba à sacerdote prolata, ter repetijt: Per crucem, & passionem tuam libera eum Domine; addiditque; Hęc spes mea est, in hac volo mori. Iam modicus in pectore restabat calor, & luctari cum hoste stygio cogebatur. Immutatus vultus, & gestus oris certamen indicabat animi, cum repente in hæc verba prorumpit. Magna est uis Dæmonum; sed ea Passionis dominicæ virtute labefactata est; Et post pusillum temporis, Planè, inquit, vici, totũ me diuino iudicio committo: & redijt faciei color amænus splendore micans, spiritus autem reliquit artus, & cœlum petijt, vt suasere miracula multa, & insignia quibus initiũ datum ab dierum malorum peccatoris conuersione, qui conspecta morte tanta cum pietate obita iuuenis virginei, altissime compunctus Sacerdotem Franciscanam, protinus adduci curauit & in propinquo conclaui peccata retexuit grandia & plurima, qualia à nobilibus opulentis in nequitia habitantibus perpetrari solent. Aliorum partem quæ ad sepulchrum eius consecuta sunt vitę scriptores enumerant; Fuit illud primum in templo Franciscanorum Parisijs, vbi ipsorum indutum habitu conditum cadauer fuit: Tum Aptam post menses aliquot translatum, vt viuens mãdauerat, & apud suos Franciscanos pariter repositum. Ibi claudi, cæci, surdi leprosi, & alijs affecti morbis persanantur; & quod maius est

 mor-

mortui ad vitam reuocantur.

Epilogus esto elogium in Martyrologio Gallicano ab Andrea Saussaio concinnato compositum 27. Septembr.

Parisijs S. Elzeari comitis Ariani in Gallia Narbonési in quo Deus ita se admirabilé ostédit, vt in hoc vno insigniorũ Sáctorũ miracula renouarit. Hic. n. in castris Machabæus, iñ Eremo Elias, in téplo Hieremias, Dauid in palatio, Ioseph in connubio, Iob in lectulo, fortitudine, austeritate, deuotione, prudentia, castimonia patientiaque admiranda præcelluit. Deniquè vita in omni religione exacta, Virginitatè, quam cum Delphina vxore castissima illibatam seruauit Angelis coæqualis, ex aula terrena ad cœlestis Regni præmia beatissimo fine euolauit, ætate florenti scilicet ab ortu suo anno 28. cum à Roberto Siciliæ Rege, & Prouinciæ Comite fuisset ablegatus ad Carolum Regem Christianissimum cognomento Speciosum. Corpus eius in habitu Franciscano, quod tertij Ordinis instituta coluisset apud Minoritas Parisienses primo sepultum, eodem anno sicut in extremis castæ coniugis memor præceperat Aptam Iuliam translatum est, magnis in via coruscans signis diuinæ clarificationis. Atque illic tandem in æde S. Francisci depositum crebris miraculis refulget excitatis per eius inuocationé mortuis, illuminatis cæcis infirmisq; quouis genere optatæ sanitati restitutis Felicem sponsum, & ipsa Delphina Sanctissima virgo subsecuta est, protogata in puro Christi famulatu ad annum vsque 76. mor-

mortali conuerſatione, die ſcilicet Nouembris 26. Oriente Sole, filia lucis ad perennes ſanctorum ſplendores, regiſque gloriæ deſideratum conſpectum emigrauit, ornata monilibus gratiæ, fidei lampade, chlamide puritatis, & corona iuſtitiæ. Cuius nitidæ exuuiæ, puris mariti Virginis oſſibus honore eodem tumulo, ſicut florido olim thalamo ſociatæ, ijſdem gloriæ inſignibus, qua beati ſimul in cœlo gaudent, coruſcarunt.





·S· MICHAEL ARCHANGELE
Defẽde nos in prelio 1575

d

Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.
Eccl. 3.

Oratio tua locutio est ad Deum, quando legis Deus tibi loquitur; quando oras cum Deo loqueris S. Aug. in ps. 85.



S. PELAGIVS MART:
Nulli Virginitas seruituti succumbit S. August.

S. Pelagius Mart.

SAnctus Ambrosius Ecclesiæ Doctor admiratus in Agnete puella Romana fortitudinem plusquam virilem in tolerandis pęnis, Hæc, inquit, tredecim annorum martyrium fecisse traditur, quò detestabilior crudelitas, quæ nec minusculę pepercit ætati: Imo magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate; nondum videlicet apta pugnę, & iam matura victoriæ &c. Idem de S. Pelagio puero hispano vsurpare licet, per quem adhuc impuberem, hoc est, annorum nondum quatuordecim, vt pleriq; scriptorum tradidere, fides virgineæ mentis, & corporis decore speciosa, armata caritate, & fiducia in Deum triumphum egit primariæ notæ martyribus comparandum Præcessit certamen fortè victoriam illustrem, & quale à grauibus historicis insertum monumentis, accepimus, in nostram indicem referre decenter posse arbitramur.

l. 1. de Virgin.

Auctores multos refert Baronius in martyr. 26. Iunij, qui vitam, vt martyrium huiusmodi descripsere

Sub annum 21. seu vt alijs placet 29. supra nongentesimum rèparatæ salutis Abderrahmanus, seu Abhremanus Almansor, tertius huius nominis Rex apud Corduhenses Maurorum dominatu pressos, collectis sui regni copijs, & nouis ex Africa aduocatis in Vasconum, & Cantabrorum prouincias per interiectos christianorum fines irrupit, & ad vallem Iuncariam (hodie Iunquaram) castra metatus tanto impetu aduersus exercitũ

Ordonij . & Iunctij Garsiæ Regum dimicauit, vt cæsis ex vtraque parte quamplurimis victor denique ipse euaserit, ac eam Cantabriæ partem, quæ Alaua dicitur sub sui imperij iuga redegerit. Inde captiuos præcipuos quosq; secum Cordubam adductos custodiæ mancipauit, quos inter Episcopi Dulcidius Salmaticensis, & Hermogius Tudensis, eiusque ex sorore (alij dicunt Sobrinum) nepos Pelagius vnicum ex humanis prèsentis calamitatis solatium. Agitur de libertatis redemptione, & potestas Hermegeo fit exeundi de carcere, vt pretium conqnirat; sed ea conditione, vt obsidem Pelagium relinquat omnibus Regum gazis sibi cariorem. Huic patrui educatio, ac disciplina mores fecerat suauissimos hominibus;superisque acceptissimos Aula Episcopalis ipsi schola fuerat pietatis, gymnasium litteraturæ, domicilium innocentiæ, modestiæ, pudoris, Dei timoris palæstra. Et nitebât istiusmodi gemmæ splendidius in forma corporis, & venustate vultus ad miraculum elegantis. Videbatur ad eum confingendum adlaborasse natura, vt spirltui habitatori sedem dignam prępararet, neque ars ad faciem Angelicam exprimendam exemplar aptius Pelagij vultu comperisset: Quamquam coloris illa quidem amænitatem & partium ęquabilem proportionem exprimere forte poterat, inerrantem per illas præsertim pèr genas, & oculos radijs nitidissimis splendorem pictura nulla ad viuum repręsentasset. Qui fulgor insolitus pelliciebat àulico-

corum barbarorum animos, ad amorem, & linguas ad laudes incitabat, tanquam rei inter mortales admirandæ. Neque latebant Regem sermones isti frequentes cui loqui placentia studium,& voluptas assentatorum erat ipse dumtaxat sui corpusculi contemptor Pelagius nihil pensi caduca omnia apud se reputans, carcerem verterat in sacellum, in quo velut alter Daniel captiuitate pressus summo numini preces diu noctuq; offerebat; libellos pios frequenter lectitabat; colloquia de rebus diuinis, vel serebat, vel audiebat perlibens, ab omni leuitate alienus, grauis, humanus, supra ætatem prudens, concaptiuorum solitudinem. ac mœrorem solabatur, & coronis martyrij, ac Virginitatis mox connectendis præludebat, ad quas triennij, & vltra spatio pręuisas, & concupitas, se ipsum comparabat.

Quippe Abderrahmanus inter adipalis mensæ delicias auditis, quæ adstantes de eximia adolescentuli pulchritndine fabantur, iussit illum ad se adduci, curiositate tum quidem sola videndi excitus; Ast vbi parentem corā se intuitus est, & sub splendenti tunica,quam inuito iniecerant Regij adulatores, micare conspexit vultus formosissimi lucem, eius amore raptus allicere blandimentis institit ad legem Maometanam amplectendam, & honorum, commodorumq, pro se, & pro cognatis omnibus pollicitatione, ad suæ aulę speciosa munera, ac honores inuitare. Cui Pelagius liberè, & audacter, Quicquid mihi

è Re-

ò Rex, promittere, vel dare potes vanum est, & ego is sum cui mortale quidlibet vilius videtur luto: æternum est, quod spero à D. meo Iesu Christo, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, quem colo, quem adoro, pro cuius amore, & lege, quæ sola vera est, mori paratus sum Debuerat generosum responsum frigidam super scatentis libidinis flammam infudisse, vt extingueretur; sed contra accidit, nam succensa est vehementius, & in sartagine pectoris diù ad scelera assueti, incendium excitauit. Itaq; propior puero factus risu; suauiloquio, gennarum attactu blaudiri, osculari, aliquid attentare, quod pudicitia horrebat, ausus est. Hic enimuero puritatis amator adolescens Pelagius ex Agnello leo magno animi, & vocis ardore apage clamat, canis, abstine pollutas manus à christiano corpore, putas ne tuis effæminatis similem me? & impacto colapho procacis impudentiam egregiè depalmauit, tum, tunicam, qua induerant protinus exutus in partes dissecuit, & per contemptum Sectę Maumeticæ, expeditior ad palmam properauit. Inhorruere adstantés pueri generositatem, & nihil minus timuere, quam vt efferatus tyrannus acinace caput diffungeret, aut mucrone latera transuerberaret. Sed seruabat Deus athletam suum ad cruciatus diriones, & ad palmas illustriores; ideoque præpotente libidine spe armata, crudelitati, innoxium Pelagium aulæ ephebis sociari mãdat, si quomodo eorum familiaritate molla-

tus

tus flecti blanditijs posset vel ad infamem Maomethis superstitionem, vel ad turpem regis indulgentiam. Parent illi prompte, & in omnem se versant blandientium formam, vt quem rex ætate dispar nequiuerat, pares ipsi lenocinijs, ac malis exemplis allicerent ad nequitiam. Sed cum oleum, & operam perderent, nec hilum se profecturos sperarent, monitus Rex animum ad tormenta adijcit, Equuleo primum exquisitè torqueri imperat, & tortor quidem impigre exequitur imperata; Ast Pelagius dum tenelli laxantur artus, & articuli torsione quassantur, vires colligit animò, & cœlo affixus, procul eiulatu puerili, non modo virili constantia, sed & lætitia exiliens martyrum propria, superiorem se præsenti pœna, & cupidum acerbioris ostendit, ac Iesu Christi inuocatione doloris atrocitatem mitigat. Quo cognito impius tyrannus animaduertens se frustra laborare, nec posse blanditijs flecti, vel tormentis adigi, vt fidem Christi abneget, desperatione in acriorem rabiem migrante, mandat forcipibus minutatim concidi corpusculum insontis, & laniata membra in flumen Boetim(Gualdalchiuir)proiecta disper gi. Mouebantur viscera spectatorum ad crudelis mandati fulmen in caput innocentis, & super aurum amabilis adolescentis intortum quinimò, & satellites ipsos horror inuaserat; quod contra naturæ, iustitiæque leges innoxio cruore manus contaminare cogerentur; sed iussio vrgebat mandantis heri spumantis

iras,

iras, & lanienam teterrimam impetantis.


Detrahuntur igitur ceu alteri Iosépho vestes, & virginea membra pudore, charitate, fortitudine cooperta in scena crudelitatis exponuntur: expediuntur forcipes ferreæ ad incidendum exacuatæ, & carnifex non vnus arreptos artus dilacerant. Hic aure, genas,& labra præcidit; alter manus, & brachia detruncat; tertius crura à coxendicibus, coxendices ab osse sacro diuellit, nec ab infanda laniena desistunt, donec à summo capite,vsq; ad ima pedum dissecuerint, Tygribus, aut leopardis immaniores lictores stygij, generis humani monstra ad drstruendum pulcherrimum naturæ opificium, Innocentiæ speculum, gratiæ, & Spiritus Sancti Sacrarium. Interim adolescentuli mitissimi iuxtà, ac fortissimi, inter crudeles excarnificationes nulla præter hanc exaudiebatur vox.Benedictus sit Dominus meus Iesus Christus, in quem credo, quem amo, quem videre spero paulo post in cœlo:neq; cessauit ab ijs vocibus donec obtruncato capite loqui desijt, post horas tormentorum senas. Vbi erat tunc Pelagius cum tortor sæuiret, lictor incideret, carnifex trucidaret, & ipse lætus in cantica laudis, & confessionis Iesu Christi erumperet?
Serm.61.in Cant. Nempe in tuto, vt cum Bernardo loquar, nempè in petra,nempè in visceribus Iesu,vulneribus nimium patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in petrà

ha-

habitans, quid mirum si in modum petræ du ruerit? Sed neque hoc mirum si exuta corpore anima dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor: submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur &c. Obstupebant quidem spectatores prodigiosã, & veluti cum cruciatu, ac Morte ludentem pueri constantiam, sed miseri vnde illa manaret haud aguoscebant, neq; fidei christianæ vim, & robur in ætatis immaturę infirmitate triumphantis Mauricis tenebris obcæcati videbant. Ideoq; collectum illum membrorum fascem loculo aureo, gemmeoue digguum in Boetis fluenta proijciunt, escam vti rebantur piscium futurum; sed prouidentiæ diuinæ bonitas eorum opinionem, ac impietatem elusit: etenim christianorum complu. res, thesauri inæstimabilis reperiundi desiderio succensi, festinanere hora minimè obseruabili, profunda aluei explorare in quibus latere ex probabili coniectabant, & quà contis, quà vrinatione repertum totum propemodum in nauiculam impositum in templis duobus coliocauere; caput videlicet ad D. Cypriani, artus reliquos ad D. Ginesij, vbi honorificè condita miraculis coruscare cœperunt, quod à Rege Ramiro Tertio, regis Sanctij cognomento Grassi primogenito filio Legionem translata,, & iu templo à parente magnificè constructo sunt recondita. Instruxerat Sanctius legationem sanè splendidam ad Abderrahmanum Regem Cordubæ sub annum 959.

959. quæ erat trecentesimus quinquagesimus tyrannis Arabum in Hispania, eique præfecerat Velascum legionensem episcum, cui dederat in mandatis, vt à Rege Maometano nihili reliqiuas Sãctorum curante martyris à se necati ossa obnixe peteret. At Rex quamquã iam capularis, & alias id temporis amicus Sanctij omnino tenuit; fortè ne alio transmitteret suæ crudelitatis monumentum: verum haud multos post dies plenus dierum, ac malitiæ, vt è viuis excessit, & Alahcám filium Regni successorem reliquit, Instaurat cum ipso postulationem legatus, atq; vt erat ingenij mitioris, & pacis cum finitimis principibus amantioris. postulatis annuit, & sacras exuuias Legionem transferendi potestatem facit. Translatæ sunt, & regia pompa exceptę per annos plures in templo prius S. Ioannis Baptistæ, tum S. Pelagij modo S. Isidori appellato quieuere, donec tandem Ouiedum delatæ in principe Ecclesia hactenus pia fidelium religione coluntur, quam Deus tam crebris, ac magnis miraculis fouere, augereque perseuerauit, vt passim aræ, ac templa per Hispaniam in Diui honorem sint erecta, qui duplici titulo martyrij gloria dignus est, tum quod coram tyranno toto conatu ad negandam fidem adducere contendenti confiteri Christum pari libertate non erubuit; tum quia gloriosè maluit mori, quam vel leui labe candorem suæ virginitatis adspergi; Ac cęteroqui si generoso impetus, & ictus ad illam, aduersus suum arabicum propugnandum

dum spectes, non minus Iosepho castissimo pudicum, nec minus fortem Dauide Philistæum perimente iudices, vtroque certè fortunatiori esse Pelagio contigit, quod sanguinem pro Christo fundere dignus est redditus, & adolescentiæ auroram virtutum heroicarum radijs clarissimam in diem vertere, & æternitati sacrare.



Sicut



e

Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem Rom.8.

Sicut ille iniquissimus est, quem ne pœnæ, quidem temporales deterrent ab immundis sordidæ voluptatis: ita iustissimus ille est, qui ne pœnarum quidem temporalium timore reuocatur à sanctis operibus luminosissimæ caritatis S. Ansel.in c.illud.



S.Nicolaus Peregrinus

In Coelo est patria Castitatis, hic aduena est.

S.Amb.

S. Nicolaus Peregrinus.

HIc est, de quo Baron. tom. 11. ad an. 1094. ita scribit. Hoc anno Tranensis in Apulia Ecclesia nobilis, magis illustratur Sancto Nicolao cognomento Peregrino, dum ex hac vita migrat in Cœlum 4. Non. Iunij. Ita Deus copioso imbre gratiarum fœcundiorem reddidit eandem Ecclesiam, quæ meritò eius cultum propensiori semper studio est iprosequuta. Plura habet de illo Vrbanus II. n Bulla canonizationis, cuius initium est. Vrbanus Episcopus, &c.

Neque mirandum tibi, lector, quod Peregrinus obscuri generis, pauper, mendicus, illiteratus, accenseatur Principum catalogo in festinitate Parthenia. Etenim apud Deum non est Iudæus, neque personarum acceptio: diues est in omnes, & misericors: In aliquos adeo suæ gratiæ liberalis, vt eos de puluere erigat, & cum principibus collocet Ecclesiæ suæ, ac super excelsa Principum seculi huius extollat, reddatque venerabiles ipsis, & colendos. Talem fuisse Peregrinum nostrum suadent, quæ ex antiquis monumentis eruta, hic breuiter perstringo.

Natus est in oppido Stiri celebris in Græcia Monasterij inter Epirum, & Achaiam Prouinciæ Hellados.

Parentes illi agricolæ fortunæ adeò tenuis, vt impar esset alendo filio, & mercedi sub di-

ſciplina præceptoris cuiuſpiam erudiendo, neceſſariæ. Itaque iam octennis à matre cuſtodiæ gregis ouium præficitur, qui grex paternæ dotis ſumma, & totæ diuitiæ ipſius erant. In hac præfectura occupatum gratia cœleſtis præuenire geſtijt, & tanta vbertate in cor eius ſe fudit, vt Dei amore arderet, & continere linguam nequiret, ne diu, noctuque in exclamationes erumperet, & enthuſiaſmo quodam ſacro actus, ingeminaret ſubinde Kyrie eleyſon. Cuius inſolentiæ pertæſa mater, cum nihil proficeret corrigendo, delirio mentis adſcribens, & inſaniæ, ſanum ſpiritus impetum, adeo exarſit ira, vt 12. annos natum domo eijceret, quem verberibus non poterat; ſi fortè corrigeret expulſio, ac intellectum daret, quem minæ, ac virgæ perſanare non poterant.

Eiectum paterna domo duxit Dominus in montem excelſum natali ſolo imminentem, ibique ſpeluncam aptam habitationi oſtendit, quam Vrſa prægrandis, horridaque incolebat. Hæc vt accedentem puerum conſpicata eſt, præceps in ipſum irruere feſtinat, haud dubium dilaniatura, ni fortis Dominus inermem, ac debilem puerum ſuæ protectionis clypeo roboraſſet. Quippe impauidus ſtetit, & audacter in nomine Ieſu Chriſti præcepit Belluæ, abiret inde, nec regreſſum in ſpeluncam vltra tentaret. Illa feritate depoſita mandato obtemperauit, & aliò ſibi ſedem quæritans, parere in tota deſerti vicinia deſijt, ac liberum habitaculum Nicolao reliquit.

liquit. In eo Cœlum inueniſſe ſibi viſus, tempus omne in oratione terere, & in conſuetis clamoribus Kyrie eleiſon oblectari, quibus vaſta perſonabat ſolitudo. Neque cura rerum, aut cogitationum humanarum vlla affixum cœleſtibus meditationibus animum turbabat; ſiquidem herbæ, earumque radices cibum, fontana potum ſuppeditabat. Huc mortalium nullus pedem inſerens quietem interpellabat: Conuerſatio illi cum Deo, & Angelis, niſi quod ſemel dumtaxat, viſendum ſe ipſi obtulit venerandus habitu Monachus, ætate ſenex, & canus; ſed breui ſaluere iuſſum, & ad conſtantiam animatum momento deſeruit, & rapido inceſſu in ſyluas ſe proripuit.

Interea temporis parens quà dolore, quà iracundia percita, poſt diligentiſſimam conquiſitionem tandem ſubodorata Spelæum, vbi filius delitefcebat, curauit per lictores publicos inde abduci, & ſuſpicata obſideri illum à malo Dæmone, more Regionis, obtulit Monachis cenobij B. Lucæ Abbatis, vt eorum precibus, ac adiurationibus liberaretur. Id loci pro Dæmoniaco habitus, vix explicari verbis poteſt quàm grauia, quamque aſpera paſſus fuerit. Nunc templo depulſus ante valuas ſiſtitur irriſioni plebis, & iniurijs temporis expoſitus; aliàs in alta incluſus turri admoto ad ianuam grandi ſaxo exire vetatur; aſt ſuborta tempeſtate, & ingenti tonitru reuolutum eſt ab Oſtio turris ſaxum, & facta exeundi facultate, rectà ſe ad templum

contulit, nusquam oblitus consueti cantici Kyrie eleyson: Hic rursus ferrea catena constrictus amouetur, & in cellam detruditur, tanquam insaniens carcere continendus. Verum post decantatum sacrum ad preces ipsius catena soluitur, quam ad triclinium tendens, oculis accumbentium Monachorum visendam obijcit; sed ipsi obsidenti spiritui prodigium tribuentes à Monasterio ablegant, cui remedia iam vlla afferri posse desperarent. Ipse porrò ijs lætus opprobrijs dum Deum laudare pergit, exstasi raptus in aera tollitur, ac in altiori templi muro collocatur, ibique occinens suum Kyrie, ab vno eorum, quorum fuerat curæ commendatus eò conscendente vapulat baculo, & immaniter ad ima præcipitatur.

Paulò post ad mare deducitur, ac naui impositus ligatis manibus, ac pedibus in profundum demergitur tanquam indignus luce, qui à tenebrarum principe possideretur. Ast à Delphino ereptus, incolumis ad littus euehitur, & periculum in aduersariorum caput reijcitur; nam ventis mare turbari cœpit tā horrendè, vt nauicula eorum naufragio proxima, eius ope euaserit statim, ac eo inuitante clamauere omnes vnanimiter Kyrie eleyson.

Demum paternam domum reuisit; inde cultrum, dolabram, & paucula ferrea instrumenta aufert, & in montem propinquum ascendit, vbi aliquanto tempore commoratus cruces de cedro format. easque in diuersis

fis locis editioribus collocat opportuna Dominicæ Passionis renouandæ memoriæ monumenta. Rursus ad eandem domum reuertitur, vt fratrem suum natu minorem, Georgium nomine, secum in montem abducat; quod cum facilè obtinuisset, orantibus ipsis descendit de Cœlo Angelus sub columnæ igneę specie, cuius Summitas pertingere ad eius conuexa videbatnr. Hæc ambos in altissimũ montem subleuat, quem Oraccum indigenę nomiuant, vt in eo, si vellent contemplationi vacarent diuinorum. Et Nicolao quidem mirè placuit locus; Ast Georgium malè habuit solitudo illa, nec detinere se fratris adhortatione passus est, ne retrò respiceret, & ad pristinam sæcularium conuersationem remearet.

Ibidem viuere perseueranti, ac sollicito vbi aquam inueniret, apparuit Angelus; & ostendit locum vbi tellurem foderet, vt fontem aquæ proliceret, et potum vitæ necessarium in promptu haberet: quam tamen nòn diu ibi traducturum præmonuit. Et ita paulò post euenit. Nam post dies aliquot ex illo montis cacumine descendit Nicolaus ad Cœnobium vulgo Euzererchia dictum, cuius vocem in Kyrie solito exultantem, vt percepit Abbas Theodorus, experimentum capturus, an verè Sanctus esset, vt plerique existimabant, equo indomito imponi iussit, qui statim deposita feritate mansuetum egit; mirantibus Monachis, & Dei gratiam in adolescentulo agnoscentibus, etiamsi nescirent,

quod Angelus bono iusserat r esse,animo dum equo imponeretur.Hic idẽ nocte insequente detulit in montem sublimem, monstrauitq; specum latebrosam tribus imaginibos ornatam, Iesu Christi, videlicet; Sanctissimę parentis,& S. Ioannis Baptistæ Præcursoris, ante quas ternæ pendebant accensæ lampades. Inde sublatum per maritima Barij, & Trani circumtulit,dixitq. Ciuitas hæc Tranensis per te decorabitur, à Domino Iesu, & celebris mundo fiet celebritate tui nominis, ac sepulchri; futurum namque est, vt à patriotis tuis in exilium pellaris, & hic quiescas. Disparuit autem Angelus, & cognouit Nicolaus, quod visa isthæc in excessu mentis contigissent, ac sine mora ad Oraccum reuersus est, ibique tempus in precatione, & cedrinarum crucum fabricatione, vti prius insumpsit.

Id loci pastor quidam Petronius nomine, non longè distans, ferramenta suffuratus erat quibus cruces suas Nicolaus pangebat, cumque rogatus, vt redderet, negaret à se ablata, Angelica reuelatione doctus ad latibulum vbi erant abscondita se confert Nicolaus, & furto recuperato cruces formare perrexit, per regionem illam dissipandas.

Fortè transeuntem Monasterij Stiriensis curatorem, quem Maximum appellabant,cum esset intuitus, salutauit amanter, & placidè sciscitatus est cur adeò austerè, ac inhumaniter cum subditis suis ageret, & ad labores immoderatos compelleret. Hac ille interrogatione corrigi se ratus, indignatione commo-

tus

tus baculo, quo vtebatur. mitem adolescẽtem dirè excipit, & vix ossibus brachiorum, & crurum non diffractis semimortuum humi deiectum relinquit. Hic inter gratiarum actiones, & laudes diuinas tantisper obdormiens, vidit S. Lucam Fundatorem Cænobij se consolantem, & ne reputaret insomnium, consecuta sanitas beneficium esse Diui, testata est.

Quæ deinde in varia peregrinatione per Apuliæ oras contigere Dei famulo denarrare prolixi laboris est, & minimè necessarij, præcipua solùm capita seligere studenti, quæ bina in hoc genere statui possunt, mirabiliũ videlicet operationem, & quotidianam malorum perpessionem ab hominibus probis, improbis, & à Dæmonibus illatorum, Deo permittente, vt & in ea conformem redderet imagini filij sui.

Videre Hydruntini, ac Tarentini intra breue tempus, quo suum Kyrie cum simplici puerorum grege cantitando prouinciam peragrabat, liberatos salutaris signi impressione obsessos à Dæmone; attractas vi precum ad littus naues prægrandes in alto pelago periclitantes, confracta vincula captiuitatis, quibus popularium suorum colla à Barbaris dirè premebantur. Et non diu post eruti à seruitute fuere, vt eruendos citra ambiguitatem ad opem suarum precum confugientibus ipse prædixerat. Sed lætis istis mixta tristia successere, nam virgis, & flagellis cædi iussus est à Præsule non nemine cum demente

re-

reputante, quod clamoribus personantibus Kyrie, aures obtunderet, & à duobus fratribus Ioanne, ac Rumtiberto, ligatis manibus pedibusque in obscurum cubiculum coniectus est, ne vlterius clamando vagaretur. Ast omni auxiliatore humano destitutò opitulator diuinus non defuit: namque cubiculum immenso splendore respersum est, & funes, quibus adstringebatur, dissoluti, & ipse liber ac lætus foras prodijt, visendumque se publicè præbuit: mirantibus, verò, ac sciscitantibus, qui vinctum sciebant, liberationis modum, Deum liberatorem suum fateri gloriæ diuinę ducebat.

Obuium aliquando habuit virum Principem domo exeuntem cum magno famulorum, & equitum comitatu: cum verò manibus in Cœlum subleuatis clamare cœpisset Kyrie eleison, perterriti equi erexere se se, & insessorum aliquos excussere de tergis: Horum vnus continere non potuit indignationē, ne colaphos, alapasque Nicolao impingeret, tanquam infortunij auctori: At non diu impunita mansit audacia; namque die eadem temerarius ille equo delapsus, dexterā enormiter lęsit, & adeò quassatos artus ex lapsu sensit, vt decumbere coactus post dies quindecim ad extrema peruenerit, & actum de vita erat ni vocatus ad ęgrum Nicolaus beneficium pro maleficio reddens, aridam manum, & totum corpus sanitati restituisset?

In reditu ab huius domo incidit in hominem cœcum, quem persanauit, sed miracu-

lo

lo gemino: alterum eſt, quòd cauſam cæcitatis prophetiæ dono nouit eſſe parricidium ab ipſo patratum, vt pecuniam raperet diuitis mercatoris; ideoque à loci Gubernatore in pœnam delicti exoculatus fuerat: alterum quod cum lacrymis pro ſalute miſeri Deum apprecans in verticem præaltæ turris ab Angelo eleuatus certior ab eodem factus eſt acceptas Deo fuiſſe preces ſuas, & lumen oculorum cœco reſtituendum, quod paulò poſt reſtitutum eſt, vbi Angelus è ſublimi ad ima reduxit, vt attactu ſalutari præſto eſſe mærenti propinquitate liceret.

Sub idem tempus in S. Demetrij martyris templo poſt contumelias,& irriſiones ibidem toleratas, palliolum ſuum ad Diui imaginem appendit, rogauitque Dominum, vt alexipharmacum eſſet infirmitatibus populorum, & exauditus eſt; ſiquidem contactus eius medicamen fuit omni generi ægrotorum ad ipſum accurrentium, vt Sanctus proinde peregrinus paſſim audiret.

Auxit famam ſanctitatis eius caſus inſolitus: ſiquidem puer paruulus ad ipſum accedens ſigno crucis in fronte deducto mutari ſe ſenſit in virum, & confortatus in Domino Dęmonia dè corporibus cæpit expellere, & omnis generis morbos corporibus infeſtos perſanare: nomen huic Dulcettus, nobilis inter ſuos conciues familiæ, exindè miraculorum dono etiam apud exteros nobilior.

Multa paſſus eſt per oppida, & caſtella Hydruntina diſcurrens; tandem Tarantum per-

peruenit oppido fessus, nec ibi quietem, aut leuamen inuenit, sed cum nocte intempesta per Vrbis compita ad pœnitentiam ciues inuitaret, ingratum id Episcopo accidit, & veluti delirantem fustibus castigatum ab vrbe expulit.

Exul inde, ac profugus non casu, sed diuino consilio Tranum nobilem, ac notam tenuit Ciuitatem: ibi collectos pueros, & munusculis escarijs allectos, cantare docuit suũ Kyrie, & Pœnitentiam agite; qua nouitate commotus populus est, atque adeo Episcopus Bisantius Senior, qui accitum ad se Nicolaum interrogauit de doctrina, & vita eius; & ex responsis haud obscurè cognouit à Dei Spiritu intus illum agi, nec dementiæ, vti vulgus rebatur, sed sapientię dandum, quod ab illo circumagi se fineret, & in partes omnes verti. Ideoque liberam ei facultatem fecit commorandi in ea vrbe. & institutum viuendi cursum persequendi. Verùm non diù licuit ea facultate frui, etenim post dies tres, quà itinerum labore defatigatus; quà verberum subinde inflictorum percussione contritus; in febrim incidit, & in hospitio apud Sabinum honestum Ciuem decubuit, quod hactenus post attiguorum ædificiorum ruinas, integrum perseuerat, & vel hac memoria celebre est, quod formam Sacelli induit erecto altari, & veneranda Diuí effigie decorato. Eò conuenit multitudo Ciuium conditionis cuiuslibet, indolentium doloribus eius, & benedictionem ab ipso postulantium.

tium. Aestuanti febrili ardore allatum est frigidæ vasculum, cui cum labra arentia admouisset, & pauxillum degustasset, reliqua in vinum optimum conuersa est; siue quia indicare Deo libuit aquam tribulationis in Vinum lætitiæ commigrasse; siue quia instauratū Canę Galileæ miraculū monuit instātis horę nuptiarum agni, ad quas dilęctus Domini inuitabatur non vltra Kyrie, & Pœnitemini, cantaturum cum puerorum turba, sed canticum nouum, quod nemo nouit, nisi qui stolam innocentiæ candidam, illibatāque seruauit. Igitur inter hæc gaudia, & inuitamenta Cœlestium 12. die ægritudinis finem peregrinationibus imposuit Nicolao, & initium ęternitati in futurum dedit, eo planè apparatu, qui responderet vitæ in summa pœnitentia, & sanctitate actę. Funus elatum ad D. Mariæ de Vrso ad quod honorandum tota se effudit Ciuitas, quę magna parte ad domum Sabini, vbi cadauer iacebat glomeratim confluxerat, & manuum ac pedum exosculatione satiari non poterat. Sub Vesperam Archiepiscopus Bisantius cum clero suo, in loco semoto honorificè sepeliendum curauit, & Deus non cessauit sepulturam miraculis illustrare, quæ ante illam adhuc exposito in medio templi corpore inchoauerat. Ea verò tam multa, tamque grandia fuere, vt Præsul ipse de vniuerso Synodi ad hoc coactæ consensu Romā se contulerit ad Vrbanum Secundum P. M. & relatione de vitæ sanctitate, ac miraculis in catalogo de-

Anno 1092 Iun. 21.

scrip-

ſcriptis peracta, perſuaſerit dignum, qui ſanctorum albo adſcriberetur. Præiuit, vt par eſt, in re grauiſſima, legitima diſcuſſio, ſecuta eſt apotheoſis, ac diploma Pontificium, quod hodieque in Archiuio Tranenſis Eccleſiæ adſeruatur inter antiquas Tabulas à quibus deſumpta eſt vitæ Sancti Nicolai hiſtoria in lucem èdita ab Antonio Pauli, iuſſu Archiepiſcopi Didaci Aluarez viri celeberrimi ex Dominicana Religione, & olim ſcripta Latinè, ac Italicè ab alijs, quos in epiſtola dedicatoria idem appellat.

De magnificò templo in honorem, ac Diui titulum ędificato; de prima translatione corporis poſt annos 49. ab obitu eius; & de altera recentiori anno 1611. prolixè, & accuratè tractat idem ſcriptor, numeratque mira, quibus ad vtramq; honorandam contendere cum mortalibus cœlites videri voluere.

Nihil interim de ætate certum ex ea narratione colligere licujt, quia mortis quidem dies, & annus deſignatur, ſed natiuitatis vterque ſilentio inuoluitur: coniectura tamen eſt adoleſcentiæ limites haud exceſſiſſe, qualem videlicet icones antiquiſſimæ repræſentant, & opinio communis per ſęculorum curſus propagata confirmat. Quippe ſimul miraculis inclareſcere poſt mortem cępit, ſimul & depingi, vt adoleſcens floridæ ætatis colore viuido, modicè ſucculentus, quod mirabantur de iuuene, qui pueritiam radicibus herbarum aluit, adoleſcentię modicum cibarij

barij panis femel in die conceffit, & in perpetuis excurfionibus, ac laboribus pulagus vtramque traduxerat; vultum ornabat coma temporibus inerrans aliquanto prolixior, & inconditè orbiculata, iuxtà fuæ patriæ morē; caput, & plantæ abfque operimento; vilis tunica ad genuavfque promiffa fune fuccincta totum erat indumentum; pendebat è collo ad dexterum latus pera, qua tanquam penu vtebatur ad elargiendum pauperibus eleemofynas fpontè oblatas, vel quæfitas, manu præferebat crucem ex illis cedrinis quas in monte fabricaffe fupra memorauimus. Et hæc quidem imago corporis exprimi à pictoribus, vtcumque potuit, animi porrò decor, ac pulçhritudo breui elogio adumbrata ab ijs eft, qui eremi deferta incolentem Chrifti Domini Præcurfori, & dira fuftinentem martyribus comparauere; & dicebant de eo, qui tam multa inaudierant, vt vidiffe, & alloqui ipfum licuit. Vidimus Heliam, vidimus Ioannem Baptiftam in deferto, vidimus Paulum in Paradifo, vt olim in vifo Sancto Paulo primo Eremita fabatur S. Antonius.



F

Verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos. Eccl. c. 28.

Restringatur (lingua) habenæ vinculis fræ-nos habeat suos, quibus reuocari possit. Ad mensuram, sermones proferat libra examinatos iustitiæ : vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 3.



Alexander Bertius Medic.

Virginibus meis dabo in domo mea, et in muro meo locum nominatum. *S Bern. e Sacr. Scrip.*

Alexander Bertius Mediceus Florentinus.

Violanta Medicea (proh' quantæ pietatis, fortitudinis in aduersis, nobilitatis inter Florentinas matrona!) Maritum habuit Nicolaum Bertium, & ipsum nobilissimum; filium verò Alexandrum posthumum, functo videlicet patre aliquot ante natiuitatem diebus; sed & Cœlum ipsum ad tempus modicum terris prolem concessit in ipsa adolescentię Aurora repetendum. Simul lucem aspéxit, simul exorta lux parientis animo, iuncta cupiditati nouellum partum Domino consecrandi, ne quid suum in eo agnosceret Mundus, quod Mundi Fabricatori displiceret. Piaculares ad Vndas Alexandri nomen sortitus est, quod in Magni Parui cognomen erat euehendum. Ea propter vt articulare cœpit vocem in verba, initium locutioni doctus est sumere à precibus Sacris, oratione dominica, salutatione Angelica, inuocatione nominum Sanctissimorum, in quæ promptè ac delectabiliter linguæ retinucula frangebat. Vix quinquennis Passionis Christi Mysteria voluere mente, ac de illis libenter sermones serere: vt liqueat iam tum ratione præuentum, quæ regeretur à gratia animulæ dominium capiéte. Clariùs eluxere istius radij in septennio, quo naturæ, ac sensibus contraria anxiè cœpit appetere, & cilicium admouere corpusculo adhuc peccare nescio, & patiendi auido; &

edita est in lucem vita eius, ex auth. suis.

natus 8. Id: Sept. ann. 1593. Flor.

 quia

quia minus asperum concessum fuerat, quàm vt affligeret pro voto gestantis; bonis modis alterum paulò durius à Confessario impetrauit, quo pungeretur acutè caro, & non perfunctoriè gestaretur. Neque eo contentus catenula ferrea acuminata lumbos cingebat, vt dolorum Christi Domini, quorum meditatione pascebat animum die ac nocte, imitationem exprimeret in corpore suo. Et quãquam Confessarij prudentia id generis petitionibus in illa ætatula parcè indulgebat; negare tamen cuncta, quæ postulabat, nefas ducebat; vel ob id maximè, quòd compertum aliunde haberet auctorem cupiditatis afflictationum istarum tam ardentis, diuinum esse Spiritum, qui totum hunc puerum possidebat, & per semitas sanctorum seniorum à paucis tritas, deducebat. Nihil in moribus eius leue; aspectus, incessus, sermo maturitate compositus; sed illa vsque adeo suaui, vt nulli grauis esset, aut onerosa, cunctis amabilis, ac iucunda, præsertim domesticis, ac agnatis; qui tacitè viuendi modum, modestiam, parendi promptitudinem, reuerentiã perpendentes, plus ne admirationis, an oblectationis caperent, ignores. Hinc est, quòd minùs ægrè tulerint, neque flocci fecerint deliberationem ab ipso initam nondum decenni, qua seculum abdicare, & pueritiam, ac ætatem omnem in religioso ordine Deo sacrare constituerat. Quamuis enim de ridiculo in communibus ac vulgaribus pueris istiusmodi properata consilia ineantur; quia tamen in-

Ale-

Alexandro nihil puerile aduertebant præter pueritiam, & proficere illum in gratia, & sapientia quotidianis experimentis comperiebant; ideo pretiosum quid sub illis floribus inuolui coniectabant, quod suo tempore in fructus concoctum cœlestis calor euolueret. Confirmauit opinionem pium pueri votum vale dicendi mundo, & ad religiosa claustra transeundi, cuius esse sequendi facultatē à parente instanter rogare, & precibus extorquere etiam atque etiam studebat. At prudens fœmina sibi gaudens de filij desiderio in ætate immatura religionis iugo, licet aliàs fouere illud sueta, tamen facultatem roganti minime annuebat, sed seriam postulationem lepida responsione eludens ad Ordinis à se expetiti præsides causam reijciebat, quos neque posse, neque velle tenellos pueros, & fermè lactentes inter suos adscribere haud nesciebat. Adiuit ille Prouincialem tum Florentia transeuntem, & tam aptè ad suadendum argumentis, ad mouendum precibus causam suā egit, vt persuadere potuerit, ni pueri ætas intempestiuę admissionis monuisset. Non minori cupiditate æstuabat ad Sacram Mensam accedendi, vt Angelorum pane reficeret animam, de cuius excellentia sublimiùs sentiebat, quàm doceretur vel piorum lectione librorum, vel proborum instructione præceptorum. Et potuisset ad sanctum Conuiuium admitti puer iam tum Cœlestibus delitijs assuetus, innocens, ac rationis validus; at ob mysterij reuerentiam nequaquam prius indul

 tum

tum votis ardentibus, quàm numerus anno-rum à singularitatis; ac insolentię nota edu-catores eximeret. Vbi veró hic expletus est, dies Purificationis Beatissimæ Virginis opta-tissimæ Synaxi destinata fuit, quæ dies illi fausta, fortunataque illuxit; etenim in cibi Eucharistici sumptione intima dulcedine, ac lætitia pręcordia eius exundauere, ac mens insolita luce perfusa vidit secreta Cœlestia, & suum cor amore ardens intuita est veluti in binas scissum partes quarum medium insidēs Iesus amicè blandiebatur. Quis tibi sensus, quæ gaudia Alexander ex hoc aspectu, ne lacrymæ quidem affluentisſimè ex oculis ma-nantes exprimant; nec lingua dignè verbis explicet quæ cor, Sedes Iesu effectum, ex-pertum est. Sanè ex prima ambrosię huius degūstatione tanta fames hęsit pectori eiusdē repetendę, ac tantus erga diuinisſimum Sa-cramentum amor, vt ab ara maxima, vbi asseruatur, diuelli nequiret, & iam apud ci-ues palàm audiret Ephebus honorarius Alta-ris, Sacratisſimę Eucharistię.

Ea propter præcipuo affectu, ac reueren-tia in B. Virginem ferebatur tum alias ob causas, tum ob istam maxime quod è puris-simis suis sanguinibus coalitum, angelicum panem Ecclesiæ parauisset: & quia vbi cor, ibi lingua, libentisſimè de eius laudibus ser-mones ferebat, vel insertos ab alijs auidè per-cipiebat: dies Sabbathinos, & alios per an-num dicatos Virgini singulari cultu celebrare in more habuit, & quà precibus, quà sup-

pli-

plicij aliquo genere propitiare sibi Reginam Virginum per eos dies enixè satagebat, horarias illius preces quotidie attentè percurrere, formulas quasdam peculiares à se inuentas adhibere, tota cordis fiducia eius se tutelæ committere, se totum illius cultui impendere, socios ad eundem incitare, nihil eorum prætermittere, quæ per ætatem, & moderatorum indulgentiam licere sibi existimabat, vt se filium, & clientem tantæ Matris profiteretur.

In Collegio Florentino Societatis nostræ erecta pridē Parthenia Floret congregatio numero, ac nobilitate adolescentum Beatissimæ Virginis seruituti se deuouentium, illamque diuersis exercitamentis pietatis testantium. In eam adscribi partem suę fœlicitatis, & summam gaudiorum duxit Alexander, qui vbi voti compos factus est, omnes eius leges ad amussim seruare; modestiæ, diligentiæ, pietatis exemplo præire sodalibus; quibus icirco cunctis erat in amoribus, & admiratione. Quæ ex eo cœtu dicta domum referebat, factaque virtutum Christianarum domesticis communicare ponebat in lucro; famulis quin etiam in aulam coactis, sodalitij imitatione ex pio libello, cum caput aliquod perlegisset, hortatiunculam tanto cum ardore habebat, vt lacrymas exciret, & ad flagellanda sua corpora vnà secum incitaret. Ex diuis, quorum patrocinio se commendatum percupiebat, vnum selegerat B. Aloysium Gonzagam, cuius gestorum lectioni velut

apis argumentosa florum delibationi iucundissime hærebat, succumque honestissimæ trahebat imitationis, etiam vsque ad religiosæ vitæ amplectendæ cupiditatem vehementē, quàm restinguere, neque parentis constans in neganda facultate morositas; neque præsidum nostrorum in suadenda dilatione argumenta imminuere valebant. Ne verò desiderium hoc inter leues puerorum impetus computandum ducerent illius conscij, grauitas morum vetabat, & conuictus iam tum domi religiosus. Custodia linguæ, & oculorum tanta erat, vt verendum etiam maioribus, atque adeò ipsi parenti in quotidiana consuetudine redderet; quippe insolitum quid modestię in oculis, in vultu, in incessu, in sermone elucebat adolescentulo maius, nisi quā humanitatis suauitatem in formæ elegātia spirabat. Erant procul dubio animi compositi argumenta isthæc, & ab affectionibus inordinatis liberi; Sed vtranque compositionem gratia Cœlestis effecerat, quæ vbi penitus cor obsederit, & in sua iura redegerit, dominium suum per externa documenta prodere delectatur; In vno duntaxat triumphare se non poterat, vt æstuantem flammam desiderij ingrediendi Societatem Iesu temperaret, quod in ea egregiè de mundo triumphum acturum pro certo haberet. Sed quis Dei amori ad tam magnum bonum impellenti legem ponat? Vt autem quoquo modo eorum imitaretur exempla, quorum habitū, atque contubernium assequi ne precum quidem

dem importunitate poterat, tempus ita domi partiebat vt suas horas Orationi, suas conscientiæ discussioni; lectioni insuper sacræ suas impertiret, neque interim studia grammaticæ, aut humanitatis negligebat, ad quæ ea gratia potissimùm incumbebat haud segniter, quod sciret nulli eorum rudi patere aditum ad tyrocinium maximopere expetitæ à se Societatis. Et in litteris quidem qua vi ingenij, ac diligentiæ; qua præceptorum solertia, industriaque progressus faciebat non contemnendos. In spiritu verò, ac interiori cultu quantum proficeret, testes fuere conscientiæ ipsius arbitri, superiori illum ductui relinquentes, à quo & perfundi mentem lumine tam affluenti, & voluntatem affectibus adeo sublimibus imbui aduertebant, vt indigus alieni magisterij minimè videretur. Etenim quis mortalium tenellum adolescentem ad hunc Sapientiæ verticem prouexisset, vt de Dei potentia ac bonitate sentiret non minùs altè, quàm si diu, multumque in diuinorum librorum lectione, ac arcanorum in ipsis contentorum inuestigatione strenuam operam collocasset? Aut quis Angelorum, hominumue tam aptè efformasset molle cor ad Cœlestium amorem, omni terrenorum appetitione exuisset; desiderio patiendi, & Crucem cum Christo ferendi inflammasset? per prolixam precationem delitijs delibutum in vberes lacrymarum imbres soluisset? ab omni grauiori labe, & à leuioribus etiam, quantum humanitati fas est, præseruasset? Ita-

quip-

quippe sibi attentus erat, vt minimas etiam labeculas deuitaret, & quicquid Deo minùs gratum censeret cautè omitteret; aut, quod perfectorum paucorum est, ex duobus bonis id amplecteretur, quod magis ipsi placere arbitrabatur. Inciderat aliquando in febrim lentam potiùs, quàm periculosam, cumque secum volueret animo, quem ob finem prouidentia Numinis, cui nihil fortuitum, nihil casuale est, eam vel immiserit, vel permiserit, dubitare de vestitu cœpit, quo ad parentis nutum, vti consueuerat, esset ne ornatior, ac ditior, quàm Deus vellet; & illico statuit, in alium commutare tam simplicem, ac vulgarem, quàm decori leges, & maiorum conniuentia paterentur. Et breues quidem vitæ illius anni fuere, sed spissos & plenos meritorum postrema inuenit infirmitas, quæ ab ipso adolescentiæ ineuntis ingressu ad meliores amisit. Properabat ad decimum quintum ætatis annum post menses quatuor explendū cum inopinato fracta pectoris vena riuum vberem cruoris emisit, & velut exanguis iacere coactus est, ac permittere se medicis, quibus morem gerebat, in omnibus licet de morte propinqua certus, quam præuiderat, ac prædixerat paucos ante dies quàm suspicionem eius morbus vllus inijceret, superno duntaxat instinctu monitus. Intendebat se febris, sed magis cupido vidēdi Deum immensum aucta fauorabili mentis illustratione, quæ illi obiecit Cœlestis patriæ pulchritudinem, ac Maiestatem. Langue-

guebant in corpusculo vires, reflorebat in animo Virtus, & veluti pompam in lectulo exhibebat. Nullus in magnis doloribus clamor; querimonia, aut lamentatio nulla; sed eorum vicem, aspirationes ad visionem deificam, gratiarum actiones, piæ collocutiones cum Christo Domino, cum Beatissima Virgine, & Sanctis suis tutelaribus. Audiebantur subinde in angoribus mortis prænuntijs ex ore patientis voces istiusmodi, O Bone Iesu quantò fuit amarior calix vester isto meo, quem libenter bibo? Et quia mortificationis habitum valens contraxerat, æger non est oblitus eius actus exercere quàm plures, nam & amarissimas potiones ex medici præscripto sorbendas paularim ceu melleum liquorem hauriebat, & incommoda, quæcumque morbi conditio inferebat, patientissimè tolerabat; recolebat assiduè amaritudinem Passionis dilecti sui Iesu, quem in vita imitatus fuerat; cui assimilari in morte non frigidè cupiebat. Vt ipsi conclamatam à Medicis salutem renunciatum est, incredibilem præsetulit in vultu exultantis animi lætitiam, & in pientissimas gratiarum actiones erupit. Protinus accito Confessario, quo frequenter incolumis, ac æger vsus fuerat è Societate, generali confessione animulam columba puriorem purgare voluit, eaque peracta crucifixi Christi imaginem amplexatus tenerrimè affatus est. O mi amantissimè Iesu desideria desideraui in Societate tui Nominis viuere, ac mori; tu scis, qui illud immisi-

sti ; neutrum sortiri licuit, Tuus tamen totus sum, quantus sum ò Iesu dulcis animæ meæ spes, & amor.) Tenuit affectuum istorum cursus, hinc interpolata mentis Exstasi, inde mali Dęmonis terrere molientis improbitate per vices interruptus, à mane vsque ad vesperam, sub quam ita adauctus est, vt inundanti cœlestis consolationis torrente pene absorberetur virgineum pectus mox morituri. In hoc æstu attollens in sublime oculos, & eleuare corpusculum connitens, in Cœlum, in Cœlum exclamat, & illico residens, quà virium defectu, quà gaudij, & liquidissimæ voluptatis excessu bis inter famulantium manus elanguens concidit; paulò post resumpto spiritu Sanctissima nomina congeminans, rursus eleuatis oculis in Cœlum animam eidem restituit ad agni nuptias vocatam, & nuptiali veste puritatis, ac innocentiæ donatam.

Neque casui dandum, quod protinus per vrbem consueto campanæ pulsu ad salutandum Beatissimam Virginem insonuere, siue quia magnæ Matri complacitum clientuli sui abitum sacro lætitiæ sonitu honestare; siue quia vita initio à Mariæ inuocatione cultuq; ducto respondere par erat initium æternitatis hora illa eiusdem Matris fauore, vt piè credimus, ipsi inchoatæ. Obijt in Aprili anno salutis 1608. Florentiæ, vbi superstitem reliquit immensam sui laudem, & famam sanctitatis. Elatum funus in triumphi formam. Tetendit à domo paterna vsque ad templum

So-

Societatis Iesu pompa multitudinis innumerabilis, omnis conditionis hominum turmatim ex vrbe tota confluentium, quorum magna pars oculis conspexit, & mirata est vultus mutationem statim ac Limen Collegij attigit feretrum. Cum enim morbus grauis, & copiosa sanguinis è fracta vena fluxio mirum in modum corpus extenuasset, mors insequens penitus à se viuente mortuus apparebat; sed vt peruentum ad Collegium est, momento redijt faciei color antiquus, & refloruit pristinus decor rosa pulchrior, durauitque donec vocatus illico pictor ad illum exprimendum manum admouit penicillo; tunc enim impallescere adeò visus est, vt ab incœpto desistere pictor sit coactus, ceu si dedignaretur coloribus exprimi, qui lætitiam induceràt non vt pingeretur; sed vt animus in cœlo, vti spes est, exultans gratularetur corpori stationem, quà datum non erat ipsi frui in habitaculis Societatis. Triumphi pariter speciem habuit populi cōcursus ad venerationem corporis properantis osculantis manus, pedesque, rosaria admouentis, vestes, capillos, & vix non carnes præcidentis, ac pro reliquijs æstimantis; & subtrahendum quà arte, quà vi fuit eorum aspectui, ne plura auderet in rapiendo. Multi ad eius opem tanquam ad gratiosum Reginæ Cœlorum in varijs necessitatibus accurrere cœperunt, eamque consecuti sunt, vt declarauere ānathematis argenteis ad imaginem eius appensis haud paucis, nec destitere,

re, quoad publica luce interdictum omnibus per orbem terrarum pensilibus id generis monumentis, ne audeat in re grauissima pro Sancto colere, quoad coli posse à Sede Petri legitime constitutum fuerit.

Interim tamen Illustrissimus, ac Reuerendissimus Archiepiscopus D. Alexander Martius Mediceus pro sui ratione muneris adnotari iussit plurimas, quæ sub illud tempus impetrabantur eius inuocatione, aut reliquiarũ attactu, sanitates. Ea propter crescente fama miraculorum visum eidem Archiepiscopo est defodi corpus quod loculo abiegno inclusum in loco humido iacuerat, & multorum votis illud videre desiderantium satisfactum est. Statim ac reclusus est tumulus inhalauit templum odoris inde manantis fragrantia; & quod opinabantur plerique omnes integerrimum repertum est tabernaculũ illud inhabitantis olim spiritus, non exenteratum antea, neque balsamo illitum, aut odoramentis conditum; sed à Virginitate per annum ab obitu custoditum, ne mortis iniurijs læderetur. collocatum est, eiusdem Illustrissimi mandato ad læuam aræ sacelli Sancti Hieronymi, & inde aucto miraculorum numero ad læuam Maioris Altaris translatum, erecto tumulo è marmore honorificè in eodem templo Societatis Iesu cum hac Epigraphe.

A. M. D. G.

Ale-

Alexandro Bertio Matre Medicea
Adolescentulo Deiparæ percaro
Tenellulo Virginitatis Flosculo
nunquam Languenti
Cœlitibus amabilissimo
Modestia vitæ, morumque integritate
Hominibus admirabilissimo
Pietate, ac religione in Deum
ætatem superanti
Societas Iesu suo Candidatulo
Posuit.
Vita functus est.
Anno Domini M. Sexcentesimo Octauo
Die 22. Aprilis, sub occasum solis
ætatis verò suæ anno decimo-
quinto nondum expleto.

Indicem miraculorum singillatim texere delectati sunt, qui vitam eius fusè scriptam typis mandauere; & eò confidentiùs, quò notiora quamplurimis oculatis testibus, & ab Archiepiscopo adnotata, vt ad Vrbem mittantur legitimo Scrutinio discutienda. Additæ insuper priuatæ reuelationes, ac visiones singularibus Dei seruis concessæ, quibus obiecta species est Virginis Sanctissimę, & Angelorum eius iussu lectum quiescentis floribus inspergentium; aliàs suum clientem inuisentis, docentis, consolantis, semel corolla floribus contexta caput cingentis, Angelorum item tam in vita apparentium, quàm in morte funeri adstantium, & id generis alia;

lia ; quorum mihi enarrationem interdico etiam merè historicam, non quia vera non existimem, & consuetis in Ecclesia reuelationibus consona ; sed quod huic etiam iudicio non ausim omnino fidere, nisi accedat à maiori auctoritate firmamentum.

Libet cum S. Basilio orat. in 40. martyres, coronidem festiuitati imponere, & Sanctos Virgines eam celebrantes interpellando venerari. O sanctum chorum, ò sacrum ordinem, ò cuneum inexpugnabilem, ò communes generis humani custodes, optimi curarum socij, precum, ac votorum inuicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum : Vos non terra contexit, sed cælum excepit. Apertæ sunt vobis Paradisi portæ, dignum profecto exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & iustis omnibus spectaculum. Viri ætate florentes, in ipso vitę flore existentes, temporariam hanc vitam contempsistis, vt in membris vestris Deum reciperetis, mundo simul, & hominibus spectaculum facti, &c.

Per vos suscipiant Montes, & Principes Pacem, & Gratia adimpleatur à Sponso Virginum Iesu Christo, qui est Deus benedictus in sæcula.

LAVS DEO.

Errata	Corrige

Epistola ad Lectorem ; & Explicatione Hieroglyfica .

efficacissimum	efficacissimam
vireutis	virtutis
narrationum	narrationem
afficiam	afficiam
stuita	stulta
Alliquem	aliquem
seuent	seruent
In margine	deest tom,8,
legeutes	legentes
extolleudam	extollendam

Pag.	Errata	Corrige
3	Actor	Auctor
4	lactæ	lacte
4	Manoch.	Menoch.
6	Imaginem	Imagine
9	Custudire	custodire
13	Dubitas	dubites
15	spontæ	sponse
19	pradictiones : Completo .	prædictiones completæ
32	quo quo Christus attulerat .	Denique Christus præconijs magnificentissimis,
30	Euangelforom	Euángeliorum
36	calturæ	culturæ
37	vella	velle
47	facisset	fecisset
4y	Nauarcum	Nauarchum
47	Palest.	Palæst.
51	Gebenefi	Gebennensi
54	Absolute	Absoluit
63	sine	siue
80	antidotum	antidoto
91	Iudíces	Iudicent
102	Italicę	Italice
110	stimulam	animulam
131	Thermes	Thermas
127	superradæ	superandæ
137	studio	stadio
141	suggesta ampla	templaq;

Can-

153	Cangonimanum	Cangoximanum
160	incojamem	incolumem
161	renocentur	reuocentur
163	tristitia	tristia
ibid.	vlta	vltrá
ibid.	augebaur	augebatur
173	nesait	nesciat
278	semiuudus	seminudus
169	conspe&uo	conspectu
179	Mediolanans	Mediolanensis
ibid.	exteræ	extera
186.	Braydeusi	Braydensi
ibid.	dignareretur	dignaretur
ibid.	præbet laborabatur	dele laborabát
ibid.	laboridsi	laboriosi
ibid,	documento	documenta
195	nuunc	nunc
224	Encemium	Encomium
230	volauit	violauit
237	consinentur	continentur
167	Sacrem.	Sacram.
275	domiuit	domuit
ibid.	autem creditum	creditum autem
ibid.	salutare	salutares
277	caudens	candens
260	Franfordiens	Francfordiensi
285	Duartanus	Dunstanus
ibid.	cosetintibus	consentientibus
289	euocant	euocat
290	Nonnulla	Nonnulli
292	clienri	clienti
267	rerum posita	potita
300	Radfslaus	Radislaus
347	á Baran.	Baronio.
350	saptena	septena
351	Gyela	Gysela
352	adstati	adstanti
354	laudatu	laudatu
303	Vuolfaungus	Vuolfangus
16	fit dandus	fit daudus
308	Iurtum si	Iutum se
318	Diré latiq;	Diré latéque
321	iuuanilis	iuuenilis
ibid.	Muleheb.	Malchol.
16	parænesis	parænesi
16	progressu	progressa

16 celibatum	cælibatuš
ibid. constiuit	constituit
327 Naturæ	Natura
16 potentiam	potentia
328 infantia	infantia
333 eastitaris	castitatis
437 peregenus	peregrinus
ibid. monam.	monum.
438 Enthusiusmo	Enthusiasmo
ibid. vlcinia	vicinia
442 Imaginabos	Imaginibus
463 induceraτ	induceret
465 specus	species
406 josporiq.	soporiq.
ibid. petenti	patenti
407 Accedentem	Accendentem
408 Aquelem	Aquensem
415 circumiere	circumire
ibid. toletabant	tolerabant
416 Hunc	Nunc
419 Fiancifcanam	Franciscanum
423 iegi	legi
425 Menris	Mentis
ibid. terius	tertius
425 Corduhenses	Cordubenses
ibid. scripro um	scriptorum
428 geunarum	genarum
ibid. diffungerat	diffringeret
ibid. di iones	diriores
ibid. mollatus	mollitus
431 dig tum	dignum
ibid. festinanere	festinauere
432 quæ erat	qui erat
437 an. 194	1094.

REGISTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S
T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff

Omnes sunt Quaterniones.



ROMAE, MDCLIII.

Typis Hæredum Manelphi Manelphij.

Superiorum permissu.

